I. G. SVLPICII, IC.

DE

STVDIO IVRIS PVBLICI

RECTE INSTITVENDO

ET DE

SCRIPTORIBVS EO PERTINENTIBVS

DISSERTATIO.

ACCESSIT

EIVSDEM DE STVDIIS ACADEMICIS IVVENIS NOBILIS RECTE INSTITVENDIS

EPISTOLA.

IO. GOTTL. HEINECCIVS, ICT.

POTENT. PRVSS. REG. A CONSIL. SANCTIORIBVS
ET IVR. ET PHILOS. PROF. P. ORD.

PRAEFATIONEM PRAEMISIT.

HALAE MAGDEBVRGICAE
SVMTIBVS IO. CHRIST. GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.
MDCCXXXVIIII.

LECTORI CANDIDO

S. P. D.

IO. GOTTL. HEINECCIVS.

Si omnes illi ſingulari quadam ac praecipua laude digni videntur, qui moleſtiſſimo defuncti itinere, aliis, idem poſt ſe ſuſcepturis, viam, qua eundum ſit, & diuerticula, quae vitanda videantur, ſollicite praemonſtrant: non poſſunt non multo maiorem gratiam a ſtudioſa iuuentute inire viri docti, qui confecta feliciter illa via, qua ad veram ac ſolidam doctrinam peruenitur, aliis, ad eamdem laudem enitentibus, pro ſtatuis Mercurialibus ſunt, in quas oculos coniiciant, qui aſperum illud ac ſalebroſum iter feliciter ingredi cupiant. Quum enim ipſi ſibi quam maxime conſcii ſint, quae res progreſſus ſuos retardarint, ſeque aliquando decurſo, iam ſpatio, veluti a calce ad carceres reuocauerint, quae contra illis viam aut breuiorem, aut planiorem amoenioremque reddiderint: quos, quaeſo, magis idoneos exiſtimemus aliorum ſtudiis regendis, quam eos, qui ipſi itinere ſtudiorum moleſtiſſimo tam felicibus auſpiciis defuncti ſunt, vt nullis erroribus a via regia in

transuersum acti, demum eo, quo contendebant, laeti peruenerint? Ludibrium profecto debent mortalibus, qui, quum ipsi sibi semitam non sapiant, aliis commonstrant viam: multoque magis suo merito vapulant, qui quum ipsi oculis orbi sint, aliis, per squallidam siluam ituris, facem praeferre audent. Μήτι δύναται τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖν; inquit SERVATOR, a) οὐχὶ ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται; *Potestne caecus coecum ducere? annon vterque incidet in foueam?* Contra ea magni omnino fieri debent virorum doctorum monita, qui, quae ipsi sibi salubria experti sunt, commendant, quae morae sibi fuisse meminerunt, indicant, veri ὁδηγοὶ, dignique, quos iuuenes, quibus eadem eruditio curae cordique est, aequis, quantum fieri potest, passibus sequantur. Quae quum ita sint, fieri non potest, quin iuris publici studiosis auro contra carus esse debeat aureus I. G. SVLPICII de studio iuris publici recte instituendo et de scriptoribus eo pertinentibus libellus, qui primum anno MDCLXXXVIII. in forma octaua, et vicennio post Wittebergae in quarta lucem vidit. Siue enim auctorem, siue eam, quam tractauit, materiam, siue ipsam scribendi rationem paullo accuratius expenderint: nihil eorum, quae pretium conciliare possint,

a) *Luc. VI, 39.*

sint, opusculo elegantissimo deesse animaduertent. Auctor, cui nomen suum, qua erat modestia, dissimulare placuit, est IO. GEORGIUS CULPISIUS, vere suae aetatis Sulpicius, vt vix elegantius illi elogium a quoquam tribui potuisset, quam quod ipsum viri doctissimi nomen, litteris paullulum traiectis, sufficit. Quantus fuerit Ser. Sulpicius Rufus, ex instituto ostendit V. C. EVERARDUS OTTO, edito de vita studiis et scriptis Ser. Sulpicii, Lemonia, Rufi libello singulari. b) Sane quum ille duobus peritissimis iurisconsultis, C. Aquillio Gallo et L. Lucillio Balbo discendi caussa dedisset operam: c) non multo post vtriusque doctoris sui eruditionem famamque non modo adsequutus, sed et longe est antegressus. Nam *et Galli, hominis acuti et exercitati, promtam et paratam in agendo et in respondendo celeritatem subtilitate diligentiaque*, teste CICERONE, d) *superauit, et Balbi, docti et eruditi hominis, in vtraque re consideratam tarditatem vicit expediendis conficiendisque rebus, atque ita et habuit, quod vterque*

b) Edito primum per modum orationis academicae *Trai. MDCCXXIIII. 4.* postea auctiore et in forma libelli doctissimi recuso in *Thesauro iur. ciu. Tomo V. p. 1549.*

c) *l. 2. §. 41. D. de orig. iur.*

d) Cicero *in Bruto Cap. XXXXII.*

que eorum habuit, et expleuit, quod vtrique defuit. Id quibus ille rebus consequutus sit, non adeo obscurum est. Quum enim alioquin qui inter seueriora ac quodammodo tetrica iurisprudentiae studia consenescunt, raro ad amoeniores litteras, multoque rarius ad accuratiores vniuersae philosophiae disciplinas, diuertere soleant: nihil eorum praesidiorum praetermisit Ser. Sulpicius, quod non ingenii bonitate vigiliisque perpetuis sibi compararit. Nam et Tullii condiscipulus, in iisdem cum illo exercitationibus ab ineunte aetate fuit, e) et per Graecas Romanasque litteras, omnisque aeui historiam ita circumtulerat viuidam indolem, vt GELLIVS f) eum *virum aetatis suae doctissimum* vocet, CICERO g) vero eumdem *vnum optime nosse non Romana solum, sed etiam Graeciae monimenta omnia,* quin ipsum *nec clarissimorum virorum exempla, nec doctissimorum praecepta fugisse,* h) testetur. Quid dicam de philosophiae vniuersae praeceptis, quorum, eodem teste TVLLIO, i) ab initio aetatis adeo studiosus fuit, vt, *quae a sapientissimis tradita essent, ea omnia*

e) Cic. *in Bruto Cap. XXXXI.*
f) Gellius *Noct. Attic. Lib. VI. c. 12.*
g) Cicero *Lib. XIII. ad Familiar. Epist. XXVIII.*
h) Idem *Lib. IIII. Epist. I.*
i) Idem *Lib. IIII. Epist. III.*

omnia summo studio curaque disceret? Quid de negotioso illo vitae genere, quod in administranda republica consistit, cui ille ab ineunte adolescentia adsuetus, incredibilem sibi prudentiam ipso rerum vsu comparauit? Quid denique de regno forensi, quod ea aetate cum Cicerone, Hortensio, paucissimisque aliis ita tenuit, vt si vtrique forte eloquentiae palmam concesserit, saltim hoc ipso vtroque maior atque excellentior fuisse videatur, quod, memor obiurgationis Mucii Scaeuolae, k) non sola dicendi facultate polluit, sed cum illa solidiorem coniunxit iuris peritiam, *turpe esse* existimans *patricio, et nobili, et caussas oranti, ius, in quo versetur, ignorare.* Iam ergo tantis doctrinae opibus instructum ingenioque vastissimo praeditum Ser. Sulpicium, non mirum profecto est, demum id, quod in iurisprudentia summum est, fuisse consequutum, tantamque sibi famam peperisse, vt CICERO, l) censor ingeniorum acutissimus, *iuris ciuilis magnum vsum et apud Scaeuolam, et apud multos, artem in hoc vno Sulpicio fuisse,* fateatur, eiusque rei non aliam caussam reddat, quam quod artem, omnium artium maximam, quasi lucem, ad ea, quae confuse

k) *l. 2. §. 43. D. de orig. iur.*
l) Cicero *in Bruto Cap. XXXI.*

fuſe ab aliis aut reſponderentur, aut agerentur, attulerit, artem puta, quae docet rem vniuerſam diſtribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera et falſa iudicarentur, et quae quibus poſitis eſſent, quaeque non eſſent conſequutura. Quamuis vero non ſuſpicandum ſit, CVLPISIVM noſtrum, dum SVLPICII nomen huic libello praeſcripſit, tam fuiſſe ſuffenum, vt ſe ipſe illi omnium, qui vmquam floruerunt, iurisconſultorum principi aequiparare voluerit: certiſſimum tamen eſſe, contendo, id anagramma, ex eius nomine depromtum, non minus elegans, nec minus verum eſſe, quam quod neſcio quis ex ALSTEDII nomine eruit, cui ille ALSTEDIVS, traiectis litteris, ipſa SEDVLITAS eſſe videbatur. m) CVLPISII enim *illuſtre nomen*, (vt verba IO. SCHILTERI n) mea faciam,) *immortalitati inſertum non per fortunam aulicam, quam vere vbertim adeptus, nec per libertatem academicam, qua fruitus feliciter, ſed perſequutione et occupatione ſolidioris eruditionis ac doctrinae radicari, orbi litterato*

m) Baile *dans le Dict. hiſt. et critique Tom. I p. 365.*
n) Schilter *praefat. Io. Georgii de Kulpis Diſſertationum academ. voluminii praemiſſa.*

terato compertum est. Inciderat CVLPISII aetas in ea tempora, quibus plerique in Germania omnis iurisprudentiae laudem in sola legum Romanarum notitia positam esse, existimabant, et, quum vel ipsa legum istarum origo eos commonefacere debuisset, frustra in iis interpretandis operam industriamque collocare illos, qui non vetus illud Latium, id est, omnes ad vnum veteres linguae Latinae scriptores diligenter et accurate peruolutassent, nihilominus tamen ea omnia vulgo negligebant, sola vulgarium interpretum lectione contenti. At CVLPISIVS noster, erectiore praeditus ingenio, non modo elegantiores litteras, et omnium gentium historiam, sed et philosophiam, et maxime ciuilem illam, quae in regenda republica versatur, ita percoluit, vt paucos in condiscipulis pares, neminem superiorem haberet. Hinc ad iurisprudentiam conuersus, non modo Romanam ita imbibit, vt praesidia, quibus illa instructior atque ornatior fieri posset, omnia vndecumque conquireret, sed et exemplo tum fere nouo atque inaudito ipsum etiam ius Germanicum, quod alii tamquam obsoletum adspernabantur, mira industria addisceret, idque litterario orbi erudita, quam sub CONRADI SINCERI nomine edidit, episto-

la, o) commendaret, ostenderetque inter primos, non ita in exsilium actam esse iurisprudentiam patriam, vt non insignis eius vsus in ipsis foris Germanorum superfit, adeoque *turpe esse Germanis, et iureconsultis, et caussas orantibus, ius, in quo versentur, ignorare.* Qua in re, quamuis θέσιν φυλάττων paene in contrarium currat, iurique Romano minorem, quam decebat; Germanico iusto maiorem vsum tribuisse plerisque videatur: ista tamen epistola alios paullatim excitatos esse nouimus, vt maiore, quam antea, studio iurisprudentiam patriam perpolire conarentur. Praeterea iuri publico, maxime imperii Germanici, ita inter primos adplicuit animum, vt illud non cum vulgo ex codice Iustinianeo, vulgaribusque, qui tum magni fiebant, libellis, sed ex ipsis imperii legibus, et patria, quae illis lucem accendit, historia, tamquam ex limpidissimo fonte, hauriendum putaret. Quumque exemplo Sulpicii cum illis lucubrationibus suis ipsum rerum vsum coniungeret, et non modo in academia Argentoratensi magni doctoris, verum etiam in aula Würtenbergica pruden-

o) Conr. Sinceri, *ciuis Germani, de Germanicarum legum veterum ac Romani iuris in republica nostra origine, auctoritateque praesenti Dissertatio Epistolica, edita anno* MDCLXXXII. *recusa cum notis* Christ. Thomasii *anno* MDCCXIII.

dentiſſimi conſiliarii et adminiſtri exemplum abſolutiſſimum praeberet: ea re idem, quod Ser. Sulpicius, conſequutus eſt, vt et haberet, quod omnes eius praeceptores habuerant, et, quod omnibus defuerat, ſubtilitate diligentiaque expleret. Vnum ad perfectionem defuit viro eximio, extentum vitae ſpacium. Rerum enim praeſtantiſſimarum meditatione occupato manum iniecerunt fata, multorumque vtiliſſimorum operum ſpem, non ſine bonorum omnium dolore, interceperunt. Attamen, quod de Ser. Sulpicio exſtincto ait CICERO, p) idem de CVLPISIO noſtro iure repetimus: *Ipſa* CVLPISII *vita multis erit praeclarisque monimentis ad omnem memoriam commendata. Semper iſtius grauitatem, conſtantiam, fidem, praeſtantem in republica tuenda curam atque prudentiam omnium mortalium fama celebrabit. Nec vero ſilebitur admirabilis et paene diuina eius in legibus interpretandis, aequitate explicanda, ſcientia. Omnes, qui tum Argentorati intelligentiam iuris habuerunt, ſi vnum in locum conferantur, cum Culpiſio Sulpicioque noſtro non ſunt comparandi. Neque enim ille magis iuris conſultus, quam iuſtitiae, fuit.* Tantum ergo virum, quem vere aeui noſtri

 Sul-

p) Cicero *Philippica VIIII. Cap. V.*

Sulpicium veneramur, quis negauerit, expeditissimam, qua ad iuris publici ſcientiam peruenitur, viam omnium optime ac rectiſſime commonſtrare potuiſſe? Quis non praeclara quaeuis ineſſe credat libello, quo methodum iuris prudentiam addiſcendi tradit is, qui omnes procul dubio tentauit viarum anfractus, ſalebras, diuerticula, antequam breuiſſimam planamque viam reperiret? Ego ſane dignum tanto auctore libellum reperi, nec dubitaui vmquam, quin magnam ex eo vtilitatem capere poſſint iuris ſtudioſi, ſi eum diurna nocturnaque verſent manu, et eorum, qui poſt CVLPISII tempora ius publicum illuſtrarunt, lucubrationes in ſuis exemplaribus addant, at eumdem tamen delectum habeant, quo in iis recenſendis vſus eſt CVLPISIVS. Mirifice itaque placuit typographi, viri optimi, conſilium, recudendi ſuis litteris libellum vtiliſſimum, et iuuentuti in noſtra praecipue academia, in qua iam inde ab eius natalibus ſtudium illud maxime floruit, valde profuturum. Et hi ipſi ſunt, quibus ego has CVLPISII ſchedas, mole exiguas, at rerum, quae in iis traduntur, praeſtantia ac pondere multis ſatis magnis maiores, vehementer etiam atque etiam commendo. Halae e muſeo v. kal. Nou. MDCCXXXVIII.

AM-

AMPLISSIMO VIRO
DOMINO
LVCAE vom Kampe,
IVRIVM DOCTORI, ECCLESIAEQVE CATHEDRALIS HAMBVRGENSIS CANONICO,

AMICO OPTIMO

S. P. D.

I. G. SVLPICIVS.

Quam publicis typis heic exſcriptam vides, DISSERTATIONEM, neceſſitas quædam, ſi dicendum quod res eſt, præter omnem voluntatem, mihi extorſit.

Neque enim ad alios, quam priuatae inſtitutionis vſus, olim in chartam fuerat coniecta, ad publicam ſane lucem, mea quidem opera interueniente, nunquam perueniſſet, niſi in Belgio a nonnemine editionem parari, haut ita pridem ex amicis reſciuiſſem. Quare cum ſubverebar, ne ex male cohærente exemplo, quale fortaſſis Auditorum meorum quispiam, ex Academicis recitationibus, ſuper hoc argumento aliquando a me habitis, ſtilo ſuo componere fuerat conatus, ipſe enim ad calamum nihil quicquam horum dictaui, eiusmodi deſcriptio fieret, quae in meam non minus quam aliorum iniuriam tenderet; idcirco quomodo illa meis verbis explanari legique vellem,

iſthac editione oſtendere ſum coactus. Tuo autem Nomini inſcribere volui, quod omnium optime noris, quo conſilio ac inſtituto ad hoc diſciplinae genus, perpetuo ſelectiſſimorum iuuenum deſiderio nonnihil ſatis facturus, ex muneris neceſſitate aliquando acceſſerim, et quemadmodum, nolle me quenquam priuatis meis opinionibus onerare, declarauerim ſemper, teſtatusque fuerim. Ita adhuc ſentio; nam respublica literaria ſic comparata eſt, vt in illa ſuffragium ſuum de materia occurrente ciuis inſigni libertate dicere liceat, a quo tamen vbi alii pari libertate recedunt, id quilibet ſuo iure feciſſe cenſeri debeat, quamdiu iniuriae et contentiones abſunt.

Ego

Ego ſane heic nihil aliud quam conſilia ſcribo, decreta facere nec volo nec poſſum: ſi cui iſta probantur, menſura ſcriptionis impleta eſt; ſin diſpliceant, in alteram partem tranſire per me quoque licebit. Interea vero hoc memoriae exemplum Tibi haud ingratum fore exiſtimaui, qui de caetero Te, cum Nobiliſſima Coniuge ſupremi Numinis tutelae commendo.

IO. GEORGII SVLPICII, IC.

De

Studio iuris publici recte inſtituendo, & de Scriptoribus eo pertinentibus

Diſſertatio.

Flagitarunt ſæpius a me nobiliſſimi quidam, bonarumque literarum ſtudioſi Iuuenes, vt, qua via, ad ſolidiorem iuris publici cognitionem, cuius præſtantiam non minus, ac neceſſitatem, iam agnouerant, contendere, & quid de ſcriptoribus, qui operam ſuam huc intenderunt, habere, qualesue ſectari heic debeant, ipſos edocerem. Ablegaui eosdem aliquoties tum ad *Samuelis Rachely introductionem ad ius publicum Germanicum*, aliquot abhinc annis editum, tum etiam ad *Sciagraphiam* iſtam & *continuationem de ſcriptoribus iuris publici præcipuis*, a B. *Bœclero* olim cum ſuis auditoribus priuatim communicatam, quam *notis* illius ac *animaduerſionibus in Ottonis ius publicum poſthumis*, præmiſit *Obrechtus*, ac nuper etiam *inſtitutionibus* ſuis *iuris publici*, in fine adiecit *Vitriarius*: ſed tamen hiſce non acquieuerunt illi mei Iuuenes, varia ſubinde cauſati, donec quid mihi quoque, & heic & illic, videatur, profiterer. Quare, cum vrgere me non deſiſterent, ſaluo aliorum iudicio, in eam fere ſententiam apud iſtos diſſerui, quod mihi non diſpliceat inſtitutum, quale *Seuerinus*

de Monzambano, in epiſtola ad Lelium Fratrem, ſe heic fuiſſe ſecutum commemorauit, quando initio legendis *rerum Germanicarum hiſtoriis*, recentioribus potiſſimum, ſe incubuiſſe, tradit, ac, *ſuæ vnus & alter, ex Italis, ſuper bello Germanico, literis prodidit, curatius euoluere cepiſſe:* deinde, quod *cupidine preſſus explorandi, quæ genti vires opesque, quæ populorum varietas, ſimul quali compage tam vaſtum corpus coniungeretur, ſcriptores, qui ius publicum, quod vocant, conſignarunt, adierit:* & quoniam nec ſic omnia comprehendere licebat, *ex viris vſu rerum ſpectatis potius exquirere inſtituerit, quæ dubitationis quid videbantur habere*, in quem finem peregrinationes ad præcipuas Germanorum Principum aulas, ipſaque comitia Ratisbonenſis ſuſceperit. Quanquam enim ſcenæ cauſa, forte plura aliena illis interſerantur, certum tamen eſt, *tribus* hiſce *gradibus* ad hanc diſciplinam optime adſcendit; *Hiſtoriæ*, potiſſimum patriæ, *notitia:* aſſidua bonorum *iuris publici ſcriptorum lectione:* indeque *commercio, cum viris pragmaticis*, in aulis, & curiis magnatum, inſtituto: nam quod practico ingenio præditus, humaniorumque literarum præſidio egregie debeat eſſe inſtructus, qui heic proficere optat, ad conditionem potius diſcentis, quam diſciplinæ rationem, pertinet. Nos de his paulo amplius videbimus, cætera quoslibet ſuo ſenſu abundare permittentes.

Ab initio quidem in *lectione hiſtoriarum* commodiſſimum vtique fuerit, HVGONIS GROTII conſilium attendere, *vt animi potius ductum, quam anxias leges, ſequamur*, qui de cætero, *vt incipiamus non ab antiquiſſimis, ſed ab his, quæ noſtris temporibus noſtræque notitiæ propius cohærent, ac paulatim deinde in remotiora euitamur, magis de re arbitratur* Hinc Seuerinus, quæ ſuper bello tricennali nouiſſimo literis fuere conſignata, euoluere primum ſuſtinuit. Quare & heic cuiusque arbitrio relinquendum eſſe exiſtimo, a qua hiſtoriæ noſtræ periodo incepere velit, modo totum hoc inter tandem emetiatur, vniuerſamque reipublicæ cognitionem contextu ſuo apprehendat. Niſi quod vtile omnino fuerit, præmittere ſcriptorem ali-

In Epiſt. ad Gall. XVI.

aliquem *Iſagogicum*, qui viam quodammodo ad notitiam cæteram ſternere poſſit. Commendauit *Bœclerus* in hanc rem, *Lehmanni chronicon Spirenſe*: *Æneæ Syluii Germaniam*: *Gebuileri panegyrin*. & *Io. Sleidani*, ac *Philippi Melanchtonis diſſertationes*, *de rebus Germaniæ & Imperii* ex rationibus ſatis prægnantibus.

Nam quod LEHMANNVM attinet, eius *Chronicon*, tractationis ſuæ decurſu, plus vbique præſtat, quam titulus in fronte poſitus, pollicetur ſiquidem non tam *Spirenſes*, quam *totius Imperii*, res, diligentiſſime eodem deſcriptæ reperiuntur. Laudatur potiſſimum, quod *in antiquioribus* ipſos *fontes* adierit, ac *ſcriptoribus* vbique fere *æqualibus* fuerit vſus, in iis autem; quæ *noſtris temporibus* propria ſunt, *ex publicis tabulariis*, ad quæ ipſi aditus patebat, ſcriptionis ſuæ fundamenta deſumſerit, vnde in rebus recentioribus inæſtimabilis eſt; id tamen negari non poteſt, ſi ad vetuſtiorem reipublicæ diſciplinam accurate velis attendere, aliquos eidem errores ſubinde obrepſiſſe, in iſta præſertim periodo, qua res Germaniæ cum Francicis ſunt permiſtæ, in quibus, ni fallor, eadem, ac Hottomanus, principia ſectatur; quod tamen æſtimationem operis illius minuere adeo non potuit, vt potius *inſignem auctoritatem*, non ſolum in *ſcholis*, ſed in *aulis* quoque hactenus obtinuerit. *Conringius* ſane, ſe multam, ſuæ in hoc ſtudiorum genere eruditionis, partem, lectioni Chronici Lehmanniani debere, ſubinde profitebatur. Maius tamen futurum erat operis huius pretium, ſi, prout conſtituerat Lehmannus, vltra Maximiliani I. tempora amplius perrexiſſet, nam quæ ab hoc imperatore in ſtatu publico immutata fuere, ſeorſim eundem voluiſſe recenſere, & paratam iam habuiſſe materiam nouimus, vtut non conſtet, ad quem poſt mortem eius ſchedæ iſtæ peruenerint.

Notit. Imp. I, 4.

ÆNEAS SYLVIVS a prima iuuentute publicis negotiis adhibitus eſt, magniſque negotiorum tractatibus ſæpe interfuit, in conſilio Baſileenſi olim ſcribæ munere fungebatur, deinceps ipſi Friderico III. Imperatori erat ab epiſtolis ac ſecretarium, vt vulgo loquimur, agebat, vnde accuratam ſatis

tis notitiam publici ſtatus comparare ſibi poterat. Deſcritio *Germaniæ*, quam adornauit, non plena quidem, ſed qualis ad introductionem ſufficit haberi debet; videas tamen aliquando non ex fide res ab eodem tradi, quod præcipue in *Bohemia* eius, an *epiſtolis*, aliisque opuſculis quibusdam, quæ Baſileæ coniunctim prodierunt, obſeruare etiam licet, quanquam id non imperitiæ, ſed *ſtudio partium* adſcribi debeat, quo ſe abripi paſſus eſt, poſtquam inter Romanæ aulæ proceres, ac ipſos denique pontifices, ipſum allegi, ſpes fuerat. Latuit hactenus in bibliothecis *vita Friderici III.* Imperatoris, ab eodem ſcripta, quam pluribus adhinc annis Bœclerus, ex MSčto, optimæ notæ, edidit, commentarioque luculento inſtituere cepit, ſed laboribus primum aliis ac ipſa tandem morte, impeditus, eundem abſoluere non potuit: quæ fata fuerit huius libri, & qualibus ſupplementis nuper in publico comparuerit, præfatio operi admota luculenter poteſt docere.

GEBVILERI *panegyris* pro captu ſeculi: alias, nec grauitate ſtyli, nec tractionis præſtantia, nec ſubſidiorum promptitudine, prioribus poteſt æquari.

Inter opera minora SLEIDANI ſunt, quæ hic commendantur, nam illo, *de ſtatu religionis & reipublicæ, Carolo V. Cæſare*, maiorem vtique laudem meruit, quam vt inter Iſagogioa debeat collocari, ex modeſtia *commentariorum* nomine inſignivit opus quod hiſtoriam artificioſe contextam exhibet, in qua, præter ſtyli hiſtorici grauitatem, ſumma rerum peritia, induſtria, fides denique in percenſendo ab omnibus ſane cordatis viris æſtimatur.

MELANCHTONIS autem ſcripta, eximie huc pertinent, nam & inſigni prudentia, & παῤῥησίᾳ prorſus ſingulari, de grauiſſimis imperii rebus, ad principes viros, quibus valde fuerat amatus, loquitur, in *diſſertationibus* non ſolum, ſed in *epiſtolis* quoque ſuis, cuius generis multa etiam habentur in *vita eius*, a *Camerario* ſcripta, quæ quo rarius haberi poteſt, eo magis debet æſtimari.

Sed

Sed plures sunt huius generis scriptorum, sicut *B. Strauchius in praelectionibus ad synopsin Beckerianam*, vbi de iuris publici disciplina commentatur, *beati Rhenani res Germanicas: Munsteri cosmographiam:* & *Zeileri* labores *topographiam, itinerarium, circulos Romani imperii*, subiungit. Quantum vero *antiquioris Germaniae notitia* huc faciat, & qua ratione eadem sit acquirenda praeclare docuit HERMANNVS CONRINGIVS, *praefatione ad Taciti Germaniam.*

De *ciuilis prudentiae studio*, hic professa opera nihil traditur, sed illud iam praesupponitur, cuius alias solidior cognitio, vnde, & quomodo, comparari possit debeatque, praeter eos, qui *consilia* hanc in rem fecerunt, qualia in Belgiis coniunctim edita, ac denuo cura *Hermanni Conringii*, Helmstadii recusa, exstant, *huius* libellus de *prudentia ciuili*, & *propolitica*, per partes demonstrauerunt. Addenda est eiusdem *introductio in politica Aristotelis*; sed & opusculum posthumum *Iohannis Andreae Bosii, de comparanda ciuili prudentia, & scriptoribus huc maxime aptis*, nominamus, ad *Iohannis Henrici Boecleri, de studiis Heluidii Prisci, dissertatio, commentario* eius *in Tacitum* inserta praeclaras huius generis obseruationes continent.

Caeterum inter *iuris publici scriptores*, alii *in formam artis*, secundum praecepta methodi, *vniuersam* isthanc *scientiam*, collegerunt; alii, *singulis argumentis* describendis fuerunt occupati; nonnulli, per occasionem, aut *liberis subsidiariis*, huc aliquid operae contulerunt. De quibus antequam partite dicamus, in vniuersum notari debet, in scriptoribus istis multa occurrere, quae reipublicae notitiam interiorem impediunt, nisi quis penitus eosdem praecognouerit. Nec enim dicam, *neglectu* praesidiorum necessariorum, multos veram rerum indolem nec ipsos perspicere valuisse, certum sane est, aliquos, vel *partim studiis*, vel *animi quadam propensione*, in hanc aut istam reipublicae formam, nimium inclinante, fuisse inductos, vt de rebus & iuribus publicis commentarentur, non quae reuera fuerant, sed quae esse illi optauerant; nonnullos etiam *ad certum scopum* disciplinam suam, a vero rerum habitu longe discre-

pantem, attemperauisse. Id quod aliis quoque regnis ac rebuspublicis contigisse nouimus. Cum superiori seculo, factionibus potissimum Guisiorum, Galliæ Reges, ad exercendam potestatem maxime absolutam, instigarentur, idque religionis etiam libertati, Hugenotis, vt appellabantur, antea concessæ, videbatur valde nocere, cepit inter viros eruditos, hanc religionem professos, consilium nasci, quo se consulere libertati suæ posse putabant, si quando publice subinde hominibus eiusmodi sententias commendarent, Gallorum regibus non competere plenam maiestatem, sed eam cum statibus regni esse communicatam, atque eo fine, vt multi opinantur, *Franciscus Hotomannus, IC.* in signis *Franco Gallium* suam edidit, in qua communionem istam imperii inde a Caroli M. temporibus repetiisse sibi visus est. Idem fuerat institutum *Claudii Scysellii*, libello *de statu Galliæ*, vernacula sua lingua conscripto, quem in latinum conuertit *Io. Sleidanus.* Saltim de illa re longe aliter sentiebant, qui regis partibus studuerunt, sic vt de diuersitate ista animorum videnda sunt, quæ *Thuanus* consignauit. In Belgis *Hugo Grotius* cum admodum iuuenis esset, sub *Bataviæ antiquæ* nomine, præsentem statum reipublicæ ciuibus suis exhibere voluit; laudatur eruditio istius libelli, sed multa addidisse de suo ingenio Grotium, & non prout erant, sed quales indui optauerat, mores, eum descripsisse, rerum periti norunt. Simile exemplum, in *descriptione Angliæ*, & connexorum, *Scotiæ, Hiberniæ regnorum*, sub Cromwellio edita, licebit obseruare, libertas & alia popularis imperii opera ibidem signantur, & in singulis partibus prætexuntur, cum tamen nihil minus quam liber, eo tempore, Angliæ status fuerit. Atque huius generis specimina plura vtique respublica etiam nostra continet, ab eo potissimum seculo, quo religionis dissidium exortum, ac in hunc vsque diem, multa præterea accedente animorum consiliorumque diuersitate cætera, reperitur continuatum. Videas enim hic scriptorum nonnullos *soli Imperatori* omnia vindicare; alios solis *statibus*; &, in his, quosdam *Electores* ita evehere, vt cæteros penitus deprimant, alios ex aduerso, per

omnia

omnia *Principes* iftis penitus exæquare, *ciuitates* vero *imperiales* vel nullo, vel minus debito, habere loco, ita vt *partium ftudiis* omnia videantur effe conturbata. Poffemus facile nomina fingulis claffibus apponere, nifi inuidiæ & periculi plenum id opus foret, fuis tamen locis aliqua fignabimus: Suffecerit interea generali annotatione hæc indicaffe, vt in re præfenti tanto rectius iudicium liceat inftruere.

Sed & hoc addendum eft, aliam effe rationem eorum, quæ a Doctoribus Academicis, publico inftitutionis more, fuper eiusmodi argumentis traduntur; aliam illorum, quæ a certæ caufæ patronis, in difceptione publica, qua fingulis pro fuo tantum iure vigilare, fibique vnice profutura, allegare omnino licet, ab alterutra partium auctoritatis, proferantur: nam quæ in his iufta partis *defenfio* eft, in illis *nimium ftudium* haberi debet, quorum officio continetur, vt non vnius tantum, fed vtriusque litigatoris, rationes, æqualiter exponant.

Quantum ad *Doctores* attinet, qui *vniuerfam* iuris publici *difciplinam* tradere profeffi funt, multi quidem fcripferunt, diuerfo tamen plurimi fucceffu. Quid de fingulis habendum fit, difficile dictu eft, ne tamen hac parte manca fit noftra tractatio, exponam de præcipuis quibus vtimur, (quis enim omnes enumerare vellet?) *iudicia*, non tam in meo vnius ingenio nata, quam confenfu aliorum clariffimorum virorum hactenus confirmata, idque faciam, libertate quidem aliqua, fed innoxia tamen, & ab omni verborum acerbitate longa remota. Sequar autem partitionem, aliquando a *Iohanne Strauchio*, & *Io. Henrico Bœclero* vfurpatam, vt ex *fyftematicis* confideremus opufcula primum *minora*, deinde *mediocria*, ac tandem *maiora* Inter minora referri debent, libri fequentium fcriptorum, quos absque præiudicio ordinis aut dignitatis heic appellamus, quique iam ante complures annos inclaruerunt, quales funt: *Daniel Otto*, *Ioachimus Cletenius*, *Chr. Befoldus*, *Iac. Lampadius*, *Georg. Brautlach.* Ex Pontificiis: *Wilhelmus Beckerus*, *Io Theodorus Sprengerus:* his ex recentiori tempore addendi: *Nicolaus Mylerus*, *Seuerinus de Monzambano: Gabriel*

briel Schedarus, *Io. Fridericus Rhetius*, *Philippus Reinhardus Vitriarius*. De *Bæclero* dubium, ad hanc, an ad ſequentem, claſſem pertineat; De ſingulis pauca dicimus.

Primum locum ergo teneat DANIELIS OTTONIS libellus, de *iure publico Imperii Romani*, qui initio ſub titulo *diſſertationis* prodiit, deinceps vero aliquoties ſeorſim recuſus eſt: ſcriptor hic ob apparentem methodicam tractationem tantæ rerum copiæ, multos, etiam præclaros viros, atque inter illos *Taborem*, in ſui amorem & fere admirationem traxerat: addidit *Io. Limnæus* notas, vti neceſſarias, ita nonnunquam nimis aeres, cuius rei poenituiſſe eum tradunt, neque enim tam ſeuere habuiſſe Ottonem poſtea optauerat. Extant quoque *Io. Henrici Bæcleri* in eundem *notæ & animaduerſiones* poſthumæ, ab *Vlrico obrechto* editæ, in quibus qualis ſit, per partes oſtenditur; ſed & *Ericus Mauritius*, heic commentatus eſt, conſcriptis notis, verum hactenus ineditis. Alias omnino plura ſunt, quæ ab eruditis in hoc ſcriptore deſiderantur, quam laudantur, vtut enim 1. methodum præ ſe ferat aliquam, tamen nil niſi mera eſt *confuſio*, ideoque lectoribus *laborem non minuit*, vt debent compendia; ſed *auget*. 2. Deinde farraginem vbique citat *Autorum impertinentium*, 3. hypotheſes ſequitur *vulgares*, falſas, pridem refutatas, 4. de rebus imperii antiquioribus, non ex fontibus, ſed riuulis, diſſerit, hiſtorias *vniuerſales* & vulgaria *chronica* ſequitur, cum *ſcriptoribus æqualibus* debebat vti. In vniuerſum, illis, *qui proficere in hoc ſtudio cupiunt*, *præmonſtrari, tanquam Dux Otto non poteſt*, vt neſciam, annon operam ludant, aut ſaltim abutantur, qui hodie ad eundem prælectionibus academicis, aut collegiis, quæ vocant, habendis, commentari gaudent; poſtquam meliores longe ſcriptores feudi datur, ante hos enim editos Doctores ſuperioris temporis velut ex neceſſitate, ſeligere iſtum, quodammodo cogebantur.

Eodem fere tempore IOACHIMVS CLVTENIVS Argentoratenſis Profeſſor, ſub titulo *Syllogos rerum quotidianarum*, iuris publici epitomen exhibuit imitatione, ni fallor, Caii ICti, qui

qui eandem inscriptionem, septem suis *de principiis iuris* libris indidit; equidem laudem aliquam scriptione ista inter eruditos initio obtinuit, sed quoniam *vulgariter* hoc argumentum pertractat, & incommodiori *Romani iuris* vsurpatione, subinde corrumpit, vt fieri tum solebat, posterioribus annis, quibus hæc disciplina cultior est reddita, multum de pretio suo amisit. Id quod fere de CHRISTOPHORI BESOLDI *institutionibus iuris publici*, etiam dici potest.

Peculiari autem elogio huc pertinet IACOBI LAMPADII opusculum, quod variis titulis aliquoties editum est. De quo, quoniam nuper antecessor quidam iuris in academia Argentoratensi, prolixe, in *remissionibus ad Lampadium*, a se editis, disseruit, iudicium eius huc transscribemus, *Iacobum Lampadium*, inquit, inter eruditiores publici iuris doctores pridem habitum esse, vel in vulgus literatorum notum est, vtut potissimam vitæ suæ partem reipublicæ administratione, ac tractatu negotiorum publicorum consumserit, quæ tempus scribendis libris nullum fere reliquerant. Ex iis tamen, quæ publice extant, speciminibus, quantum præstare, in eo potissimum studiorum genere, potuerit, satis constat apud hos, qui de autoribus paulo rectius iudicare norunt. Peculiari vero elogio huc pertinet præsens libellus qui variis titulis aliquoties est editus. Initio, *dissertationis de iurisdictione imperii Romano Germanici* nomen præscriptum habuit, solenni eorum temporum more, ex Bartolistilo, nisi fallor, descendente, quo iurisdictionis appellatione quicquid ciuilis imperii, solebat explicari, vnde etiam *Tobiam Paurmeisterum, Matthiam Stephani, Thomam Michaelem, Christophorum Besoldum*, aliosque plures, ante & post Lampadium, eundem subinde titulum, libris suis, idem argumentum complexis, indidisse videas, quorum exemplo se facile tuebitur Lampadius. Sed postquam, consensu autoris, in ius Conringii abierat hic liber, is primæ inscriptionis, quam parum commodam existimabat, rationem, in editione Belgia, a se parata, ita commutauit, vt de *constitutione reipublicæ Romano-Germanicæ*, ac tandem cum ite-

rum prodiret, simpliciter, *de republica Romano-Germanica* in indice eundem signaret, ipsum vero textum penitus siuit intactum. Vnde etiam, quæ exprimi tituli instituto, *iurisdictionis natura ac differentia*, principio operis annotabantur, in reliquis editionibus fuere retenta.

Cæterum *æstimarunt* peritiores hanc tractationem Lampadianam:

I. Ob insignem *scientiæ philosophiæ*, aliorumque *præsidiorum*, queis hic felicissime progreditur, applicationem, cuius ope vulgaria illa, & præscriptione quadam inueterata, dogmata, in omnium fere ICtorum libros relata, deseruisse poterat, & confutasse, multa alia etiam accuratius, ac antea erat factum, definiuerat Lampadius; speciminis loco nominari possunt, quæ parte prima, de mixtura iurium maiestatis item parte tertia, de axiomae illo, tantum potest quilibet princeps in suo territorio, quantum imperator in imperio; præclare disseruit, vt de infinitis aliis nil dicam.

II. Ob nobilem *rerum in imperio gestarum* notitiam, quam subinde, ostendit, quanquam scientia isthæc muneribus publicis deinceps valde aucta sit.

III. Ob *iudicium acre*, quale examinandis, quæ ab aliis intricata, confusa distinguendis, definiendisque dubia, circa præcipua reipublicæ capita, adhibuit. Vt vel ex sola illa iuris iudiciarii a iure magistratuum constituendorum separatione, qua locum istum de iurisdictione cameræ, alias multis difficultatibus impeditum, docte explicauit; item ex regula, quam super iuribus imperatori reseruatis indagandis cognoscendisque adornauit, apparet.

IV. Ob *docendi ordinem* aptum, quo rebus tractandis facilitatem quoque conciliauit.

Sed non defuere tamen, qui in Lampadio aliqua *desiderarunt*, vel etiam *taxarunt*. Nonnulli quidem *absque ratione:* quo pertinent, qui *nimiam philosophiam* accusauerant, quasi distinctiunculis metaphysicis hanc disciplinam longe nobilissimam corruperit. Vereor enim an hoc iudicium probet, nisi qui in philosophicis disciplinis plane hospites esse deprehendun-

duntur; quin enim vniuerſalis philoſophiæ auxilio expediri facile poſſint, de quorum definitione alii, iſtius imperiti, fere deſperabunt, nullus dubito. Et quis de iurium maieſtatis natura, diuiſioneque, ac inde ſurgente reipublicæ mixtura, feliciter diſſerere poterit, non adhibita diſcretione *ſubiecti* maieſtatis, vel reipublicæ, *eſſentiæ ac exiſtentiæ*, ab eodem inuenta, ex quo deinceps alii ſapuerunt.

Eſſe vero, in quibus *cum ratione* aliquid deſiderari poſſit, etiam eruditiores nonnullos ſenſiſſe memini. Quale haberi debeant:

I. Omiſſa *originum Germanicarum hiſtoria*: cum enim ita partitus fuerit librum ſuum Lampadius, vt prima parte *politices*, altera *hiſtoriæ* cognitionem neceſſariam præmitteret, quæ deinceps parte tertia ad rempublicam *Germanicam*, eiusque ſtatum publicum applicarentur; in eo peccaſſe, quod cum debeat præſentis reipublicæ origines a ſuis principiis domeſticis repetere, ab originibus gentium Germanicarum; ille ad Romanos, populum peregrinum, & aliquando iure belli Germanis ſubiectum acceſſerit, ab vrbe condita initia iſta per varias reipublicæ Romanæ viciſſitudines, ad tempora vsque, quibus, ſub Francis, reliquæ iſtius imperii, Germaniæ adcreuerunt, deducens.

II. Quod *de quibusdam materiis*, quarum tractatio in hac iuris publici diſciplina, neceſſaria eſt, v. gr. Vrbibus imperialibus, nobilitate immediata, & ſimilibus, vel parum, vel nihil, tradiderit.

III. Quod *ius publicum recentius* non addat, ſed *ex antiquioribus imperii*, vt vocant, & conſtitutionibus res ſuas definiat, ac de *obſeruantia* hodierna fere penitus ſileat.

IV. Quod differat ſæpe *de controuerſiis*, iudicetque, aliter, quam *legaliter* deciſum eſt: exemplum præbet tractatio eius *de reſeruato eccleſiaſtico*, item de *numero votorum Comitum & Prælatorum.*

Sed ſi quis tamen liberaliter, vti par eſt, cum Lampadio agere velit, non deerunt forte argumenta, quibus ab iſtis obiectionibus defendi poſſit, vel ſaltim excuſari: Sicut enim priora duo capita ipſi *condonari* debent, ita poſteriora reliqua *imputari eidem nequaquam poſſunt.*

Condonandum eſt, *primum* quidem, ex *morte temporis*, in quod Lampadius, cum iſta ſcriberet, incidit: ſolennis enim tum hæc erat ſcriptorum aberratio, aut confuſio, quod, vbi reipublicæ noſtræ origines explicare volebant, reipublicæ Romanæ veteris initia & progreſſus indagauerint, cum potius in Germanicarum nationum rationes, modumque regiminis, quomodo ſub Francorum Imperio in vnam rempublicam coaluerint, induſtriam debuerint impendere.

Alterum vero *condonandum* eſt præſentis libelli *inſtituto:* neque enim aliud, quam *diſſertationis*, vt vocant, *inauguralis* argumentum debebat exhibere, quam more academico, pro conſequendis honoribus doctoris, in Alma ſtudiorum vniuerſitate, quæ Heidelbergæ eſt, inſtituerat olim, ſub præſidio *Reinhardi Bachouii*, ICti clariſſimi; at in eiusmodi ſcriptione non omni ad normam exactæ tractationis exigi, tralatitium eſt.

Tertium non eſt *imputandum* Lampadio, qui confectionem libelli ſui *ante inſtrumentum pacis Weſtphalicæ* adornauit, quo tempore plurima ſub lite pendebant, de quorum iure, aut legitima obſeruantia, tunc nihil certi poterat dici, iam vero per tabulas pacis, hasque inſecutum receſſum comitiorum ſuperiorum, paulo amplius definita. Atque hæc etiam cauſa eſt, *cur quartum* hic non poſſit valide vrgeri, quæ enim de reſeruato eccleſiaſtico, item de votis Comitum, Prælatorumque & eorum numero, eo tempore, quo ſcripſit, vere commentatus eſt, quemadmodum ſuo loco dicitur, in aliam partem iri commutatum, qui præuidere poterat?

Ex his vero ea nunc reſultat *concluſio*, non in hoc tantum, ſed cæteris quoque, illorum temporum ſcriptoribus, neceſſaria: *non ſtatim arripienda, quæ ab his traduntur, ſed coniungenda quoque eſſe, quæ recentius conſtituta ſunt.*

Illis tamen, ac in vniuerſum cæteræ tractationi Lampadianæ imperfectiori, egregie ſubuenerunt *annotata*, & *Hermanno Conringio*, V. CL. aliquando addita, quorum pars publice extat, reliqua manu ſcripta in eruditorum manibus verſatur.

GEORGII BRAVTLACHTI *epitome iuriſprudentiæ publicæ vniuerſæ*,

verſæ, ab ipſo autore *propter methodum* commendatur, quod *omne, materias ad ius publicum pertinentes ita collegerit, ac tali diſpoſuerit ordine, quo ante hac a nemine fuerit factum*: aliis iſta tractandi ratio non placuit, qua nimia partitione in minutiſſimas vsque particulas diſiicitur magis, quam componitur aliqua diſciplina. Alias ſcriptor eſt non penitus ſpernendus, *ſtudio* tamen *partium* locum aliquem relinquit. Nouiſſimam editionem procurauit, & *additionibus nonnullis, ex inſtrumento pacis, nouiſſimisque iuris publici ſcriptoribus*, illuſtrare ac corrigere voluit, *Chriſtianus Leonhardus Leichtius*. Sed & *Ioh. Fridericus Rhetius*, V. CL. cum in academia Viadrina anteceſſoris munere adhuc fungeretur, publicis prælectionibus eundem explicauit, quæ paſſim laudari ſolent.

Sequitur nunc WILHELMVS BECKERVS, qui *ſynopſin iuris Imperii Romano-Germanici* edidit, ex *diſſertatione academica*, quam de hoc argumento antea habuit, collectam: præfert *ſcribendi* aliquam *grauitatem*, qua effectum, vt iſte libellus multis amatus, & nunc ſeptima vice recuſus ſit: ſed ſicut in vniuerſum *Bœclero* etiam obſeruante, a *Pontificiis* non poteſt ſeparari ſincera huius diſciplinæ tractatio; ita Beckerus quoque hypotheſes ſequitur non ferendas, circa ius eccleſiaſticum ac Pontificis autoritatem. Deficit quoque *ſentiendi libertas*, dum reticet, quæ ſcit tractata fuiſſe in controuerſiis non ſolum Proteſtantium, ſed & Catholicorum Principum, cum ſede Romana, v. gr. de neceſſitate conſenſus Papæ in electione Imperatoris, & quæ ſunt huius generis alia. Sed & *iudicium*, quo heic liberum eſſe debeat, præconceptæ ex religione opiniones, corrumpunt, vt, quo debebat modo, non expediatur Quare cenſuræ, ſi habere poſſunt, coniungi debent, quas *Iohannes Strauchius in prælectionibus publicis* ſuper hunc autorem, adornauit, & aliquando auditoribus ſuis ad calamum dictauit, nam eas viris eruditis in pretio paſſim haberi, ſuisque commentariis per *excerpta* inſeri, videmus, vtvt in ipſis ſchedis beatiſſimi viri, non niſi fragmenta quædam valde imperfecta reperiri. Aliquot abhinc annis *Henricus Henniges* ad eundem ſua quoque *annotata* publicauit.

IOHANNIS THEODORI SPRENGERI *synopsis iuris publici*, ante triginta & quod excurrit, annos primum edita, eruditorum favorem initio satis est experta, cui maiori opere *institutiones iuris publici* deinceps successerunt, sane quin minoribus opusculis maiorem laudem tulerit, quam isto grandiori, negari non potest; iudicarunt eruditi, rectius eum fecisse, si, prolixioribus in compendia concinnandis, genere scribendi concisiore perexisset, cuius instituti specimen in *fontibus iuris publici*: *Lucerna imperii*: sed & in *Ellychniis*: & *Perspicillo*, aliquod exhibuisse visus est. Laudatur tamen in eo, quod plurima *experientia propria* edoctus annotarit, quæ alibi frustra quærantur; præterea etiam ex archiuis nonnulla *monumenta* antea *inedita*, inseruerit. Alias in *institutionibus* nec *methodus accurata est*, nec *plena* satis, vt in opere maiori requirebatur, cætera apparet *tractatio*, vt de *confusione publici iuris cum priuato* sileamus, nam hanc in aliis quoque scriptoribus nimiam sæpe deprehendere. In *synopsin* eius iterum *Iohannis Strauchii* notæ MSctæ, in academia Ienensi olim confectæ, merentur laudari.

NICOLAI MYLERI ab EHRENBACH, *de principibus & statibus imperii Romano-Germanici succincta tractatio*, passim commendatur, liber est vtique non spernendus, & qui cæteris eius scriptis locum primum facile eripit, præsertim postquam secundis curis tam nobili accessione est locupletatus: desiderari tamen in eo, quæ in prioribus iam notauimus, aliqua possunt; nam & in percensendis *originibus* nostris, semper *Romanam* intuetur rempublicam, ad eiusque regulas præsentes rationes sæpe nimium exigit, & in cætera tractatione totum argumentum non exhaurit. Philosophiam quoque, heic necessariam, parum ostendit: quæ tamen *autoritati* eius non obfuerunt, vt non in *aulis* etiam magnatum, erudiendis ac ad regimen publicum formandis principibus iuuentutis, libellus iste aliquando ceperit vsurpari: *Consiliarii* certe ac omnibus aliis in publica negotiorum administratione constitutis, *præsidium* vtile præbere potest, dum casus quotidie occurrentes autor hicce rationibus suis euoluit, facili, & publice recepto stylo, exponit, auctoritatibusque Doctorum amplius

amplius confirmat, nec qui in aduersam partem pugnare solent, nominare desinit.

Super SEVERINI de MONZAMBANO, *de statu imperii Germanici libro,* prolixe nuper *in commentationibus academicis ad Monzambanum, ad epistolam præfixam*, scriptor aliquis iuris publici disseruit, inprimis, quinam pro autoribus, cum primum ederetur variis hominum opinionibus, fuerint habiti, & quomodo publica deinceps fama in illustri viro *Samuele Pufendorfio* acquieuerit, cui tamen ipse nondum consenserit. Quantum ad *iudicia*, de libello hoc lata, vt & *censores* attinet, ex traditis illius, per excerpta heic inserere, quam nostris verbis exponere malumus. Ita autem ille: liber hic Monzambanianus, vt fieri solet, nactus est suos *laudatores*, suos etiam *censores*.

Quin multo applausu seculi fuerit exceptus, negari non potest. Multi, auctorem inter magna illa ingenia referendum, censuerunt, queis pari *eloquentia* & *libertate* res imperii nostri memorarentur. Alii contra *veritatem* pluribus modis *infractam* sunt causati, idque diuerso proposito animorum habituque: hi *inscientiam* reipublicæ vt alienæ; isti *libidinem* assentandi, aut *odium* aduersus dominantium partem, deprehendisse sibi sunt visi, neutri *curam posteritatis*, inter disciplinam infensam vel obnoxiam: vnde quæ ab aliis eloquentiæ ac libertatis nomine commendabantur, alii ab *adulationis* & *malignitatis* specie excusari vix posse, opinati sunt, qui cætera super isto seculi applausu, sententiam suam *Taciti* verbis exponere, non dubitauerunt: *ambitionem scriptoris facile aduerseris: obtrectatio & liuor pronis auribus accipiuntur, quippe adulationi fœdum crimen seruitutis, malignitati falsa species libertatis inest.* Qui *cordatiores* videri maluerunt, in scriptore saltim animum obligationis aduersus patriam magis memorem, & hinc profluens *reipublicæ studium* non immerito desiderari posse, dixerunt; vtut enim doctrina ciuilis tam liberaliter diffusa, & tam alte recondita sit, vt nec ab ingenio nec ab instituto cuiusuis, disciplina eius debeat exigi, tamen effectum in rempublicam eiusque statum, & fidem, decretum esse naturalis, vt sic loquamur, politicæ quam Deus mentibus homi-

hominum, in ciuilem habitum formatis inseuerit, & latis legibus commendauerit: ab hac quæcunque recedit, non superuacuam modo, sed inanem esse sapientiam; quod in præsenti scriptione autorem non satis considerasse aiunt. Neque enim laudabilem esse morem, quo ipse status & rectores eius publice traducantur, quo nihil aliud efficiatur, quam vt respublica & domi confundatur, & exteris deridenda prostituatur. Quid enim, pergunt, opus est, morbos & vitia, quibuscum administratio publica colluctatur, palam denudari, cum nulla sit reipublicæ species morbis carens, & si illi sunt desperati, ad quid prodest publica eorum declamatio; quin putant, exagitari heic multa, vt maxime vitiosa, quæ tamen hactenus inter media conseruandi rempublicam a prudentioribus sint collaudata. Vnde cum officium boni ciuis exigat, defendere statum reipublicæ, qui quoquo tempore existat, ac cum *Marcello*, apud *Tacitum*, meminisse temporum quibus natus sis, quam ciuitatis formam patres auique instituerint, vlteriora mirari, præsentia sequi, bonos imperantes voto expetere, qualescunque tolerare, rectius facturos, qui simplicitate verborum ad publicarum legum formulam heic philosophiam suam attemperent, omnibusque modis caueant, ne respublica de statu suo vel domi vel foris in disceptationem vocetur, in cæteris Deum venerentur, vt inter perplexa temporum & motus rerum, mentem a sensu boni publici, & fide ciuitati debita, irretortam singulis conseruet. Ego, inquit, me horum disputationibus non immittam, existimo tamen, importunum esse, qualecunque illud fuerit iudicium, quod quis fere sustineat, antequam διάθεσιν scriptoris, & vniuersum argumenti propositum quam perspectissimum habeat, quod & *Pufendorfius*, cum a *Genesio* Monzambanus, vt fœtus eidem obiiceretur, recte regessit, *quod quæ liberius ibi quibusdam scripta videantur, autoris, quisquis demum is sit religioni aut pietati nihil præiudicare queant, si cogitamus, quam ille sibi personam imponat, aut quales loquentes introducat. Et qui nescit, quam multum intersit, Dauus ne loquatur an herus, is quæso abstineat, de eiusmodi scriptis iudicium ferre, ni inter Midæ socios referri velit.*

Cum

Cum enim & iudicio acerrimo & scribendi facultate summa polluerit, quisquis est autor huius opusculi, facile negotio potuisset in aliam partem animi cogitata proponere, ni ratio peculiaris instituti eidem obstitisset. Atque hactenus verum omnino est, quod in *Apologia* sua *idem* tradidit, *non erubescere auctorem, quisquis is est, eo fœtu debere, qui tanto cum applausu per cultissimam Europæ partem a cordatissimis quibusque sit receptus.* Vtut apud nos inter *libros adhibitos* referri non desierit, quo tamen vix aliud quid effectum est, quam vt maiori ardore conquireretur lectitareturque, donec cum periculo parabatur, mox licentia habendi obliuionem attulit.

Quantum ad *censores* Monzambanianos attinet, quinque potissimum se reperire, ait, qui professa opera hoc egerunt, vt altero statim anno animaduersiones suas ederent. Quorum primus erat *Martinus Schockius,* nam huius sunt *exercitationes duodecim, quibus Seuerini de Monzambano, ad modum promulsidis, tractatus de statu imperii Germanici discutitur, & quædam crebesimo, plura obelo, notantur.* Secundo loco sequebatur *Philippus Andreas Oldenburgerus,* qui ipsum hoc opusculum Geneuæ denuo recudi curauit ac sub nomine *Pacifici a Lapide, notas & stricturas aliquot discursibus comprehensas,* subiunxit. Editæ sunt deinceps *Seuerini de Monzambano, de imperii Germanici forma, ad Lælium fratrem, literæ secretiores,* queis autor in sententiis suis sibimet ipsi diffidens inducitur. Scriptas eas fuisse a *Io. Ludouico Praschio,* senatore Ratisbonensi, nec Pufendorfium latuisse, ex dicterio de *lunatis calceis* vsurpato, constare videtur, vtut nonnisi *nescio quis* eundem appellet. His accessit *Christianus a Teuteburg, nobilis Francus,* cuius *solida & necessaria disquisitio de forma Imperii Romano-Germanici,* caput sextum libelli Monzambaniani sibi sumsit refutandum. Denique *Io. Vlricus Zellerus,* publica declamatione in academia Tubingensi, *disquisitionem de statu imperii Germanici contra Monzambanum* instituit. Qui quanquam diuersis maxime armis pugnasse visi sint, coniunctim tamen mox omnibus respondit *illustris Pufendorfius,* edita, & cum *addendis* denuo repetita, dissertatione,

de republica irregulari, in qua amplius sententia Monzambani examinatur. Annis abhinc aliquot inter aduersarios Monzambani nomen quoque suum profiteri voluit *Carolus Scharschmidius*, emissa peculiari disquisitione de *republica monstrosa*, quam *Pufendorfius* in dissertationis iam laudatæ *addendis* excusit, cumque denuo *defensionem disquisitionis de republica monstrosa* ille ederet, huic sub nomine *Iohannis Roleti*, *Palatini*, dissertatio, vel satyra potius, cui *Scharschmidius Vapulans* titulus inscribebatur, opposita legitur. Fuerunt postea, qui per partes subinde quædam huius libelli tradita, sub examen reuocare sustinuerunt, de quibus alibi rectius dicendum est, nouissime etiam *Vlricus Obrechtus exercitationibus academicis* idem opusculum illustrare aggrediebatur, sed consilium isthoc citius interuersum est, vt non vltra capitis secundi decursum commentario illa, nec vltra ternarium exercitationum numerus ascenderit.

Ipse vero, quem iam signauimus, scriptor, perpetuis commentationibus totum hunc librum nouissime est persecutus.

Vidimus etiam nuper GABRIELIS SCHWEDERI, *introductionem in ius publicum*, secunda quoque vice recusam, auctamque: cur *introductionis* nomen præscribere optauerit operi, quo ipsa disciplinæ tractatio continetur, nescio: aliam saltim, & non eam vocis acceptionem, quam dissertationis huius initio indicauimus, secutum heic esse autorem existimo. Cæterum quale fuerit institutum, ex *præfatione* libri apparet. Nimirum, se, libro isto, ait, *prima & generalia iuris publici imperii nostri principia & fundamenta, non ex turbidis lacunis, sed ex limpidissimis fontibus hausta, exhibere voluisse, seque in eo ab his, quæ in aliis aliorum huius generis scriptis notari solent, sedulo cauisse, &, vt vulgares errores, ab aliis passim admissos frequentes aliis veteris Romanæ & Romano-Germanicæ reipublicæ confusiones, aliosque non ferendos næuos euitaret ac effugeret, manibus pedibusque laborasse breuitati in omnibus studuisse, sed tali, quæ nec in necessariis deficiat, nec sensui quicquam in rebus intelligendis officiat; studium quoque partium a se longius abfuisse*, & quæ plura huius generis esse possunt. Id sane negari nequit, collectionis eruditæ diligentiam, ac

studium

ac studium non spernendum in vniuerso isto libro satis conspici.

Quadriennio adhinc Francofurti ad Viadram *institutiones* quoque *iuris publici Germanici Romani* prodierunt, non apposito autoris nomine, quem tamen *Io. Fridericum Rhetium* esse, iam satis constat. Is, postquam feliciter, & cum seculi applausu, antecessoris iuris munus, in academia Viadrina expleuerat, inter ministros status & consiliarios sanctiores electoris Brandenburgici selectus, nouissimum hoc suum professorii laboris opus in publicum vulgari permisit. *Tituli* non minus inscripti, quam obseruatæ *methodi* ratio, ex adamata Strauchii æmulatione, nisi fallor, prouenit, is enim, vti suo loco prolixius ostendemus, iam ante complures annos ad seriem institutionum Iustinianearum, publici quoque iuris institutiones meditabatur, cuius consilio alios quoque viros eruditos fuisse prouocatos, verisimile est. Cæterum, quod index huius libri lectoribus promisit, definitionem puta rerum huc pertinentium, non ex farragine allegationum, sed *ex ipsis recessibus, & legibus* nostræ *reipublicæ fundamentalibus*, adornatam, id in decursu tractationis fideliter quoque præstitum reperitur, atque hæc etiam causa fuit, cur constitutionum istarum præcipuas, auream nimirum bullam Caroli IV. capitulationem Leopoldinam, ac instrumentum pacis Cæsareo-Suecicum, per modum appendicis subiunxerit editor.

Eodem anno octuogesimo tertio, quo Rhetianas has institutiones publicatas vidimus, similes fere Spiræ Nemetum excusæ fuerunt *institutiones iuris publici selectissimæ*, præfixo, *Nicolai Danckwerthii, ICti*, nomine conficto. Verus enim earum autor est V. CL. *Philippus Reinhardus Vitriarius*, in academia, quæ Lugduni Batauorum est, Professor celeberrimus. Is, cum adhuc Geneuæ vixerat, in priuatæ institutionis vsus, ab illustri auditorio rogatus, easdem composuit; ex communicatione aliorum bibliopola Spirensis exemplum nactus est, quod inscio autore typis exprimi curauit; qua de re deinceps ille valde est conquestus, maxime etiam, quod Spirensis ista editio adeo corrupta & inquinata sit, vt plane tolerabilis non videatur, sensum enim in pluribus dixit hiare, orationem sæpe non cohærere, definitio-

nis falsas, & sæpe vnam pro alia, exhiberi. Quare suis auspiciis aliam editionem, quam solam pro sua agnosci voluit, anno superiori ipse parauit, pluribus in locis auctam, in qua tituli præterea in paragraphos distincti reperiuntur. Sicut autem scriptor hic, optimis in tali studiorum genere doctoribus, & nominatim Boecleri institutione, olim est vsus, ita genuina quoque principia in hoc libro est sectatus, ac ex fontibus iustis tradita sua deriuauit, vt præcipuam laudem omnino mereatur.

I. HENRICI BOECLERI cuius modo mentionem fecit. *Notitiam S. R. imperii* ipsam, vtrum ad hanc, an sequentium classem aliquam, referre debeam, nescio, vtut enim mole minor sit iste commentarius, plura tamen habet in recessu, quam aliorum sæpe labores maxime prolixi. Modestia scriptoris est, quod non nisi per *titulos memoriales*, in modum *indicis* digestam illam profitetur, nec *aliis inseruire posse istas paginas, existimat*, quam qui *congressibus* illis, quos super rebus illic contentis instituerat, olim ipsi *interfuerint*; vtut enim negari non debeat, *de grauissimis quibusque quæstionibus, non quid actum, sed an actum sit*, sæpius dici: id tamen in confesso quoque est, quod plurimis locis & 1. *iudicium* grauissimum subiungatur, & 2. *Scriptores optimi* vbique nominentur, vt multo cum adplausu passim liber iste sit receptus, & ad illius seriem in plerisque Germaniæ Academiis scholas suas habere eruditiores ament. *Notitiæ* potius, quam iuris publici, nomen in fronte libri proposuit, cuius instituti ratio alibi explicata est, cum enim quicquid ad descriptionem accuratam Sacr. Rom. imperii tam materiæ, vt cum schola loquamur, siue obiectiuæ, siue subiectiuæ, quo regionum constitutio, hominum indoles, locorum sitis, finesque pertinent: quam formæ ratione, quæ status publici eiusque administrationis interiori cognitione constat, vllo modo potest referri, volebat eodem tractari, amplior vtique, quam *iuris publici* titulus quærendus erat, hoc enim si proprie velimus loqui, non nisi ea, *quæ legibus* aut *moribus publicis* reperiuntur definita, complectitur, quæ *notitiæ* illius saltim partem aliquam conficiunt: quare differentia vtriusque ex *prin-*

cipiis

cipiis etiam suis demonstratur: ius publicum enim cum collectum esse dicant, ex *iure naturali gentium & ciuili:* notitiam hanc ex *domesticis* constare *principiis*, dixit *Bœclerus*, quæ partim sint *historica*, vt sciatur, quomodo singula se habeant in imperio, partim *politica*, vt quomodo ista iudicari debeant intelligatur. Sed de diuersitate *notitiæ status & iuris publici*, quam afferunt alii, alii inficiantur, heic nihil definio, verum tamen est, historiam & politicam, siue *principia* cum *Bœclero*, siue adminicula *iuris publici*, cum *Praschio*, dicere velis, certissima fundamenta esse, quibus vniuersæ huius, cui operamur, disciplinæ, contextus, feliciter inædificetur, atque horum minus accuratam tractationem, caussam esse, quod ius publicum non satis sit excultum, idem *Praschius* ostendit, imo ex neglectu illorum studiorum, omnia fere mala, quæ Germaniam nunc affligant, oriri, ex meliori autem cultu fortunatiorem statum sperari debere, profiteri ausus est, ac demonstrare sustinuit *Conringius* de *historia* quidem, in *præfatione ad Taciti Germaniam*, quam iam laudauimus; de *politica* vero, in *epistola Giphanii politicorum Aristotelicorum interpretationi*, præfixa. Atque hoc nomine excellenter laudari solet Bœcleriana notitia, quod his præsidiis miranda industria refertissimam vbique sese exhibeat. In cæteris æstimant cordatiores, quod tantæ, tamque *diffusæ, materiæ*, *amplissimos locos* egregia dispositione collectos, secundum ipsam *rerum indolem* consignauerit: quod in singulis harum partibus, nihil vulgare, sed quod *eximium* omni est, ac illustre, miscuerit: ipsos *fontes*, ex scriptoribus propriis, aut monumentis haud vbique obuiis, commonstrauerit: quorum aliqua ex *archiuis*, vel ipso *negotiorum tractatu*, desumta, subinde etiam inseruit, ita, vt nihil fere præter *tractationem vberiorem*, possit desiderari. Nam hoc optarunt viri etiam clarissimi, vt remissiones istæ, & rerum disceptatarum indicia, expositionibus autoris definita extarent. Circumferuntur quidem *notæ, & explicationes aliquæ;* sed non nisi ex prælectionibus eiusdem, super isto libro priuatim habitis, ab auditoribus sunt exceptæ. Fere enim nihil eorum ad calamum dictasse Bœclerum ipsum, nouimus, quare etiam di-

de ICto vero & personato p. 143.

 versum

versum genium præferunt istæ, pro diuerso nimirum, vt fieri solet, excipientium captu: nonnulla exempla, qualia me vidisse scio, ita quoque sunt comparata, vt a vero autoris sensu, de quo aliunde mihi constat, penitus abhorreant. Memini *Vlricum Obrechtum*, Bœcleri generum, ante aliquot annos, ea, quæ partim in schedis Bœclerianis reperiebantur, partim obseruationibus propriis consignata habebat, in iusti voluminis modum componere, ac, sicut in priuati iuris doctrina olim fecere istius academiæ antecessores, sub titulo *collegi iuris publici Argentoratensis* edere voluisse, quæ commentariorum in notitiam vicem sustinere possent, sed hoc propositum postea variis impedimentis interceptum est. Postmodum vero *notitiam* ipsam recudi curauit, paucis quibusdam *additionibus* locupletatam.

Sed transeamus ad systemata *mediocria*, in quibus *Tobiæ Paurmeisteri, Matthiæ Stephani*, atque iterum *Besoldi*: at *Sprengeri*; denique *Theodori Reinkingii, Hermanni Hermes*: ac si laborem suum penitus absoluisset *Iohannis Strauchii*, nomina appellanda.

Primum locum TOBIÆ PAVRMEISTERO tribuimus, cuius libri, de *iurisdictione imperii Romani*, extant; inscriptionis rationem supra allegauimus. In magno pretio iam pridem haberi solebat, 1. ob insignem *autoritatem*, qua pollebat in rebus imperii, ipse enim maximis reipublicæ negotiis adhibebatur, 2. ob *libertatem* summam, qua, vti sentiebat, sic etiam iudicium suum, de rebus, sibi obuenientibus, exponebat, nec curabat inuidiam, quam forte in aula, siue Cæsarea, siue alia, propterea sibi conciret: specimen habemus in quæstione, de nobilitatis Germanicæ exteris militandi libertate, 3. ob præclaram *peritiam* rerum in *archiuis* delitescentium, quarum subsidio adiutus adscribendum accessit. Item 4. ob *eruditionis* reconditioris apparatum, nam & græca exacte calluit, lector Aristotelis diligentissimus, quanquam apud linguæ huius imperitos ei vitio vertatur, quod toties Græca sine versione latina immiscuerit, quod leue admodum est, nec attendendum: maiori fortassis iure alii *habitum philosophiæ* pleniorem in eo desiderarunt, nam loca Aristotelis sæpe violen-

violenter attrahuntur: & in rationibus *definiendi* quandoque *defectus* aliquis apparet; denique nec *vulgares errores*, quibus nimium superiorum temporum scriptores indulgebant, penitus subterfugere potuit. Editio nouissima, quam *Io. Euchelius* curauit, quædam, antea non comprehensa, exhibet. Præfationem vero, quam index promittit, videre mihi nondum contigit.

MATTHIÆ STEPHANI, & qui post eum claruit, CHRISTOPHORI BESOLDI commentationes, eodem titulo adornatæ, cur magnopere laudari non possint, in superioribus partim dictum est, neque enim ea, quæ heic necessaria iudicatur, *rerum distinctio*, & *præsidiorum apparatus* conspicitur, quare vix aliam, quam reliqui, a prioribus scriptoribus allegati, libri, vsum poterant præstare.

Aliud dixeris, *de regimine seculari & ecclesiastico*, THEODORI REINKINGII, quo magnam laudem apud lectores primum consequebatur, nec præter meritum; nam & summa eius fuit *auctoritas* in negotiis publice tractatis, & ex *ineditis* subsidiis quædam commode satis operi suo coniunxit. Tractatio autem illa, quam de superioritate territoriali inseruit, præ ceteris omnino bona existimari debet: Eundem tamen eruditione, iudicio, ac philosophicæ scientiæ adminiculis, Paurmeistero longe inferiorem esse, negari nequit. Cæterum apertis etiam *nauis* suis non destituitur, quos inter præcipuus est, nimium *studium partium*, & manifesta adulatio, dum monarchiam, qualis vnquam in imperio Romano fuit, absolutissimam, hodienum defendere satagit, argumentis prorsus ficulneis, & ex turbidis fontibus deductis, quem sicut miselli quidam homines, publici status, si diis placet, reformatores scholastici, hodie infelicissime sequuntur, ita ille olim eo nomine plurimis vapulauit, & ab ipsa quoque Viennensi aula exiguam reportauit, in quavtique minus libenter eiusmodi philosophiam audiunt, quod eadem nil aliud effici satis sciunt, quam vt inuidia, vel in ipsum imperatorem, vel ministros eius, quorum instinctu talia scribi suspicantur, apud principes soleat excitari; alias statum Romani Imperii *veterem &*

nouum,

nouum, ex proposito semel instituto, perpetuo opere confundit, nec in *patria* historia, nec in *politicis*, aliisue huc pertinentis disciplinæ humanioris partibus ita *peritus* esse deprehenditur, vt indoles scriptionis videbatur requirere.

SPRENGERI *institutiones iuris publici*, & quid de illis sentiatur, iam supra, occasione synopseos iuris publici, diximus.

HERMANNVS HERMES, in *fasciculo iuris publici*, plura quidem, quam cæteri, religionis suæ asseclæ, præstitit. Nondum tamen talia eodem apparere, quæ seorsim, & excellenter, mereatur commendari, multi sane crediderunt. Desideratur a plurimis in eo, quod in cæteris pontificiis scriptoribus, nam & *partium studio* nonnihil laborat, & iudicium proprium rarius intendit, Limnæi potius cæterorumque compilator, quam nouorum argumentorum inuentor.

Singulari autem, dubio procul, elogio, *institutiones iuris publici*, quas IOHANNES STRAVCHIVS conficere cepit, huc pertinerent, si absolutas easdem videre fata nobis concessissent; Sicut enim autoritas summa aliis eius libris vbique iam accesserat, ita nec minorem hoc fuerat consecuturus, scriptor felicissimus, quem dudum *optimum iuris publici interpretem*, Zieglerus, Conringius, aliique, publice salutarunt. Nominatim commendari merebatur *noua* non minus, quam erudita illa methodus, quando singulari penitus arte, ad easdem regulas, iurispublici disciplinam tradere constituerat, qua Iustinianus imperator priuati elementa olim componi curauit, vt omnia eodem pertinentia, ad triplicem istam iuris, personarum, rerum, & actionum, classem conferrentur. Cuius quidem instituti, non ea tantum futura erat *vtilitas*, vt cupidæ legum iuuentuti tanto certius, & cum successu feliciori, in hac quoque studii sui parte, liceret proficere; sed &, vt vtriusque iuris, publici ac priuati, *contemperatio*, ac mutuus inuicem nexus, proprius ostenderetur, quæ inter ingens hactenus hiatus apparebat, exemplo publice etiam noxio, cuius caussa præcipua, si quod res est dicendum, *defectus* interpretum adscribi debet, qui in illius enarratione maiorem ad statum reipublicæ præsentem accommodationem fecere, cum

huius

huius ratione, saltim in *scholis*, sollicite semper ad vetustiora Quiritum placita vbique attendebant, licet forum Germanicas leges & consuetudines proprias magis sequebatur, adeo vt propterea in *theoriam* & *praxin*, ipsum ius denique secretum, & distinctio ista, nisi omnia me fallunt, longe absurdissima, inter *ICtum theoreticum & practicum*, excogitata fuerit. Accessit *arrogantia* aulicorum quorundam, hanc scientiæ partem sibi solis, monopolio quodam, vindicantium, ac ex academiis retrahentium, vnde heic eius apud plurimos ignorantia paulatim irrepsit, qui postea alios, publici non minus, quam priuati iuris iterum peritos, aduersabantur, ac ipsam denique disciplinam *odio* prosequebantur immerito, quod priuato iuri pretium suum constare non posse, nisi publicum deprimatur, vane metuerint: quanquam autem dudum alii errores hosce confutauerint, ostenderintque, & scholiis hanc studiorum partem deberi, & ICtum verum esse non posse, nisi vtriusque iuris scientia æquali sit imbutus, *Strauchius* tamen necessitudinem istam & συζυγίαν ita in re præsenti exhibere constituit, vt ante eum fecerat nemo, nec facere etiam facile poterat, nisi qui eadem scribendi facultate instructus deprehenderetur, qualis in isto fuit excellentissima, si, vti par est, æstimare eam velimus, ex abundantia *præsidiorum*, heic necessariorum; nam solidioris *politicæ* cognitione; *historiæ* patriæ, antiquioris, recentiorisque accurata notitia; arte *iuris*, naturalis, gentium, ac ciuilis omnis, mirifice erat excultus: accessit *experientia* propria, publicis muneribus in schola, foro, aula, vsu & exercitatione comparata: sed & quæ præter necessitatem ita absolutam, ad *ornatum* pertinent, græcas non minus ac latinas literas, & quicquid denique ad *polymathiam* referebant veteres, longe fuit doctissimus: quibus omnibus vltimum velut pondus poterat adiicere inimitabilis ista, indolique rerum vbique accommodata, *styli elegantia*, grauitasque, cum facilitate quadam, tam venuste animi sensa repræsentante, coniuncta, vt publice vtique dolendum sit, præclari huius instituti mensuram non fuisse adimpletam. Inchoauit istum laborem *Ienæ* aliquoties, sed ne *primum* quidem librum, de *iure personarum*, absoluit, vtut quæ elaborata

E fue-

fuerunt, passique descripta, eruditi allegare non desierint. Resumta est in academia Gisensi, eadem opera, semel atque iterum, decreuitque vir illustris publicis recitationibus eam tunc absolvere, sed cum totus in eo esset, & iam *libro secundo*, iuxta cæteras res incorporales, superioritatis territorialis iura recenseret, inter partes bellici iuris, expeditionis Romanæ, interpretationi, titulo vndecimo contentæ immortuus est, atque ita memorabili exemplo, postquam bella, in hac mortalitate a fortuna sibi varia intentata, multa virtute confecerat; mens eius in cœlestem patriam, vnde originem trahebat, expeditionem suam felicissime suscepit; vt ibidem perpetua quiete viueret ac optima deinceps pace æternum frueretur. Cæterum quas integras habere non possumus, *institutiones iuris publici*, earum *specimen* ex superstitibus schedis beati autoris, iussu hæredum adornauit, annisque abhinc aliquot vulgauit *Io. Georgius Kulpis*, vt vel sic de instituto eiusdem amplius queat constare.

Sequuntur volumina maiora, quo *Dominici Arumæi*, *Iusti Sinoldi Schuzii*, *Iohannis Limnæi*, & *Christiani Castelii*, opera pertinent. Ad hunc quoque censum *Erici Mauritii* commentarius referri deberet, si eundem absolui contingeret. De singulis seorsim dicemus. Et initio quidem DOMINICI ARVMÆI quinque voluminibus constantes *iuris publici discursus* nominandi sunt, nam hic primus studium hoc, qui ignoratum, in scholas reduxisse, & aliorum ingenia ad vlteriorem culturam prouocasse videtur, quanquam generaliora quædam, & ad statum imperii nostri præcise haud pertinentia argumenta, insuper contineant. Alias dissertationes illæ, non ab ipso Arumæo, sed a respondentibus plurimam partem sunt confectæ, vnde & *confusa* sæpius *tractatio* aliquando etiam *partium studium* in iisdem apparet, multa quoque de *plane arrepta*, citra selectioris tractationis curam inserta deprehenduntur. Ex hoc ergo opere tam insignem auctoritatem non accepit, *diligentia* tamen eius laudatur, quam in ista collectione impendit: Cæterum quid valeat, si ipse ingenium velit intendere, satis demonstrauit in cæteris commentationibus, quales in *auream bullam*, ac de *comitiis*, edidit, nam & historica-

rum

rum rerum notitia, & iudicio satis acri pollebat, quare maiorem laudem ac existimationem hinc reportauit; in cæteris si quid desiderari potest, condonandum est tempori ac ætati, in quam scriptor hic incidit, neque enim tanta accuratio operosius de postulanda est apud hos, qui glaciem primum frangunt, facilius ergo, quod ceperat Arumæus, absoluere poterant discipuli eius, Iustus Sinoltus Schuzius, & Iohannes Limnæus.

Sed quantum ad SCHVZII *collegium iuris publici* attinet, id fere eadem ratione, ac opus Arumæanum, confectum est: nam & illi, qui de argumentis illic comprehensis, more academico responderunt, quisque suas dissertationes scripserunt, sub moderamine & directione Schuzii, vnde etiam pro diuerso scriptorum studio, ac in rebus huius generis peritia, diuersus labor occurrit; commendatur tamen hoc opus, quod propria *experientia* notauerit quædam præses, alibi tum temporis nondum reperta, neque enim muneris professorii partes tantum sustinuerat, Cancellarius & Professor primarius Gisensis academiæ, sed legationibus etiam ad comitia, aliasque magnatum aulas, adhibitus fuerat, ex quibus subinde obseruationes suas voluminibus istis inseruit; Deinde singulari *iudicio* multa definiuit, quorum disceptatio tunc inter eruditos versabatur. Scripsit quoque præclara *supplementa* in opus iam perfectum, ex tractatione publicorum negotiorum, quibus immersus erat, decerpta, verum hactenus *inedita*. Sed & filius, *Io Heluicus Schüzius*, operam eo amplius intendit, ac cum adhuc Professorem, in eadem studiorum vniuersitate ageret, de suis quædam adiunxit, quæ in manus eruditorum peruenerunt, sicut sub nomine *MSctarum positionum iuris publici* aliquoties a *Mauritio* laudantur continuauit istum laborem, postquam inter iudicii aulici consiliarios allectus, ac denique splendidissimo Cancellarii munere in aula Cellensi præfectus est, vnde facile coniicere possumus, quam insignem iuris publici thesaurum contineant obseruationes istæ, quæ a tanto viro, per tot annos, in negotiis reipublicæ tam variis, & grandibus, summa texteritate versato, sint collectæ; Scio, cum adhuc in viuis esset, ab amicis eius esse flagitatum, ne apud se delitescere

sineret, sed parentis operi coniungeret, ac simul ederet, verum exorari non potuit, operationes quas penetrare facile licebit. In officinis librariis nonnisi alterum volumen huius collegii diu reperiri potuit, aliquot vero abhinc annis nouam totius operis editionem, *Carolus Scharschmidius* parauit, additis quibusdam suis *annotationibus*

Nemo autem maiorem hic operam intendit, quam IOHANNES LIMNÆVS, cuius fere vnicum opus de *iure publico* in *tomos quinque* distributum, vt & illa, quae ad *auream bullam*, & *capitulationem Cæsaream* commentatus est, bibliothecam iuris conficere possunt. Studium indefessum ac industriam incomparabilem eum adhibuisse omnes fatentur, hinc etiam maximam autoritatem, et nomen satis illustre, in hac disciplina obtinuit. Nominatim *commendatur* in eo 1: *παῤῥησία ingens*, qua & Paurmeistero, & cæteris scriptoribus omnibus, præcellit, præcipue specimen eius exhibuit in *annotamentis ad capitulationes*, adeo etiam, vt de confiscatione eorum, quod nimia licentia scripta esse putarentur, aliquando in aula Cæsarea consultatum fama tulerit: sed, sicut alii quidem posteritatis cura, declinandisque in eam potentiorum offensis, ab hac scribendi libertate facile deterrentur, quod, ex *Verulamii* sententia, *qui vxorem duxit, & liberos suscepit, obsides fortunæ dederit, qui siue magnorum conatuum impedimenta, siue ad virtutem tendat quis, siue ad improbitatem*, ita Limnæus, qui vitam vixit cœlibem, ea parum attendit, aduersus fatorum mala, & quoscunque aliorum insultus, in aula Onolsbacensi secutus præsistens. 2. *summa diligentia*, qualis vix ab alio vllo est adhibita, euoluit assidue omnia monumenta, ac libros vsurpauit, multis sæpe ne visos quidem, ex quibus, quod huc pertinere poterat, locis debitis inseruit. 3. *eruditio varia*, nam et *veteres* autores legit, vtut tantum hic non profecerit, ac in *recentioribus*; in *exoticis* rebus egregie fuit versatus, vnde ad ornandum opus suum, quicquid ab Hispanis, Gallis, Italis, quorum linguas calluit, traditum reperiebat, in vtilitates suas conuertere poterat, 4. *cognitio iuris priuati*, quam eruditius ac cæteri scriptores sibi coætanei, ad res publicas nouerat applicare, quotiescunque in definiendis quæstionibus iuris opus fuerat. 5. *Philosophia acu-*

ta,

ta, quanquam enim priuatas quoque suas habuerit opiniones, quæ infeliciter ipsi interdum cesserunt, sicut in disputatione, contra Wizendorffium instituta, apparuit, in cæteris tamen præclara satis est eius philosophia, nec ideo statim spernenda, quod a principiis Aristotelicis quandoque deflectat. Denique 6. farrago *monumentorum publicorum*, quæ ex *archiuis* edita conspicitur, ingens pretium eius *operi acquirit*, plurima quoque ex commercio cum *viris*, talium rerum peritia præstantibus *in aulis* & *curiis*, *communicata* habuit, quæ alibi non reperiuntur: equidem decepit eum aliquando etiam *credulitas*, sed id vix imputari potest Limnæo, qui omnia ista, eadem, qua accepit, bona fide retulit, & qui fieri potest, vt tam amplissimi argumenti locos omnes excolas, nisi fidem aliis hominibus, iis potissimum imperii partibus, quarum res percensemus, commorantibus, tribuere velis.

Desiderarunt tamen alii nonnulla, & nominatim Seuerinus de Monzambano, quod vbique *febriculosam iuris ciuilis notitiam* ostentaret, ac *quicquid* vspiam *legisset*, audissetque, eodem *compingeret*. Sed, nisi fallor, *excusari* adhuc poterit *Limnæus*, quoad primum quidem, ex instituto eius, quo non politicam status notitiam, sed ius publicum se traditurum, in fronte operis est professus, ad cuius contextum vtique necessarium fuerat, ne iuris ciuilis allegationibus penitus supersederet: aliud forte dicendum de *altero*, quin enim multa ex Gallicis aliisque exteris rebus contineantur, quæ non solum sine disciplinæ hiatu, sed & cum decore tractationis, potuissent omitti, negari simpliciter nequit; sed videtur *ornatus causa* fecisse Limnæus, vt comparationem rerum aliarum cum nostris ostenderet, cæterum nimiæ hæ allegationes exoticorum scriptorum, fere in prioribus tantum *tribus tomis*, quos solos initio ediderat, conspiciuntur, nam in additionum tomis, quales in supplementi vicem postea subiunxit, videtur ad magis necessaria attendisse. Voluit aliquando huic malo mederi *Philippus Andreas Oldenburgerus*, vastius illud Limnæi opus in *nucleum* contrahendo: & sane non potest reprehendi consilium eius, qui probo iudicio hoc ageret, vt secretis alienis a propriis, superfluis a necessariis, ea concisius exhiberentur, quæ ad res imperii præcise pertinent; Oldenburgerus vero, quod ia-

E 3 ctauit

ctauit, aut verbis præ ſe tulit, reipſa non præſtitit: detraxit enim multa, ſine quibus hæc diſciplina eſſe non poteſt, & addidit alia, quæ vel ad Limnæum plane non attinebant, vel alio loco debebant tradi, vt adeo Oldenburgeri moleſtius fere fuerit, quam Limnæi opus; non dicam de diplomatibus,& aliis monumentis publicis denuo inſertis, quorum repetitio nunquam ſuperuacanea eſt,integra autem aliorum opera in nucleum aliquem transſcribere, neſcio an iudicium ſapiat; ſi enim vtile fuiſſet, *Conringii libros, de finibus Imperii*, ob exemplorum defectum, denuo excudi,debebat id ſeorſim fieri, aut facta poſſibile tunc non fuerat, voluiſſet tamen Enucleator in opere ſuo aliquid de his legi, ſaltem per compendium, & iuxta ſumma operis Conringiani capita id facere poterat, quale quid inſtituto, quod præferebat, & indoli nuclei magis conueniſſet. Nouiſſime *Abaſuerus Fritſchius* ad ius publicum Limnæi *tomum nouum* ac *tertium additionum* edidit, cui varia præſentibus comitiis edita, acta & monumenta publica,vtiliſſime reperiuntur inſerta: ſed & *adnotamenta, ad inſtrumentum pacis Oſnabrugo- Monaſterienſe*,coniuncta ſunt,iisque,in fine,*nouiſſimæ inſtrumenta pacis Nouiomagenſis* acceſſere.

Neſcio huc referre quoque debeam CHRISTIANI GASTELII *de ſtatu publico Europæ tractatum* ſatis vaſtum, continet enim aliorum quoque regnorum deſcriptiones, eas tamen breuiores, ita, vt in noſtræ reipublicæ deſignatione fere deſinat, & vnice occupatus eſſe videatur: *æſtimant* aliqui *copiam allegationum*, plurimos iuris publici ſcriptores vno loco complexam: alii in eo nihil eximii apparere opinantur, non tantum quod alibi paſſim iidem ſcriptores deprehendantur allegati,ſed &, quod multi ſæpe ſint impertinentes, & citra rationem adducti vel etiam falſo nominati: Laudari tamen meretur viri *induſtria*, in colligendis præcipue publicis actis demonſtrata, quorum inſignem numerum, more vtili non minus quam laudando,locis ſuis conduxi.Quamuis apud principes quoſdam exiguam gratiam eo nomine iniuerit. Sane ipſum opus,primum cum prodiret,in certo quodam loco, minus bene fuiſſe exceptum, memini. Interim labore hoc præclariſſime vti poſſunt illi imprimis, quibus ad tabularia & archiua tam facile aditus non patet. Quod

Quod inter opera mediocria de Strauchianis inſtitutionibus diximus,idem heic de opere, quod vir illuſtris, ERICVS MAVRITIVS aliquando moliebatur, foret dicendum, quod vtique inter *maiora volumina* locum ſuum fuiſſet habiturum, ſi ex parte, ſiue *ſpecimine* iſto, quod publice extat, ac *de principiis iuris publici Germanici* agit, totum licet æſtimare; ſane quid præſtitiſſet vir ſummus, non ſolum cæteræ eius, ſuper his rebus editæ, *diſſertationes*, luculenter teſtantur, quæ apud omnes ſolide doctos ſummo pretio habentur; ſed & *initia* operis ipſius iam oſtendere poſſunt, ſi enim eadem accuratione, qua de *naturæ iure, ad latinorum, patrum, ſcholaſticorum & moraliſtarum, vt vocant, mentem, ex recentioribusquoque auctorum aliorum monumentis*, diſſeruit, *de reliquis* quoque *iuris publici principiis, iure gentium, receſſibus imperii, bulla aurea, capitulationibus, pace religioſa & profana, inſtrumento pacis Cæſareo-Suecico & Gallico, ordinatione camerali, iudicii aulici, & politica, conſuetudinibus imperii ſententiis cameralibus, ſcriptorum polemicorum, Iuſtinianei iuris, & hiſtoriæ Germanicæ auctoritate, tum de libris iuris publici, qui nobis hactenus innotuerunt,* fuiſſe commentatus, ſicut eum ſibi propoſuiſſe, *præfatio* docet, quantum incrementum huic diſciplinæ acceſſiſſe, facile vident, queis optimi huius ſcriptoris ſumma eruditio, experientia longa, iudicium accerrimum, explicandi dexteritas,& cætera huc pertinentia opera, ſunt perſpecta. Ceptus eſt iſte labor aliquoties Heidelbergæ ac Tubingæ, iterumque auctoritate Boineburgii Baronis repetitus, an vero ita hactenus abſolutus ſit,vt aliquando publice extare poſſit vel debeat, quemadmodum ſpem aliqui fecerunt, mihi nondum ſatis conſtat.

Scriptores ſingulorum argumentorum plures ſunt, quam vt heic poſſint referri. Specimen aliquod exhibuit *Bœclerus* in *conſignatione*, quam ſupra laudauimus, vbi ſeorſim, & iuxta ſeriem materiarum, nominantur autores, qui de *aurea bulla, capitulatione imperatoria, pace religionis, pace publica profana, inſtrumento pacis*, ſcripſerunt: qui *acta publica* ediderunt: item qui *de imperatore Romano, electoribus, Rege Bohemiæ, de Electore Palatino,* *Saxo-*

Saxonico, Brandenburgensi, de Principibus, Archiducibus, Ducibus, Marchionibus, Landgrauiis, de Comitibus & Baronibus, de titulis & honoribus, de iure præcedentiæ inter Principes, de familia Austriaca, Bauarica, Brandenburgica, de mobilibus, de torneamentis, de insignibus, de ciuitatibus, de academiis, de comitiis, camera imperiali: eoque præcipuis argumentis, sunt commentati, qualis recensio vti aliquem præstare vsum quærentibus potest, ita valde est imperfecta, & aliunde supplenda.

Pertinent huc eorum labores, qui vel *suas* vel *aliorum*, de variis iuris publici argumentis habitas, *dissertationes academicas*, vno volumine iunctim exhibuerunt, quale institutum omnino vtile haberi debet, nam & sic libelli minores, qui facile alias pereunt, asseruantur, & quorum comparatio seorsim difficilis est, redditur commodior. Specimen *huius* generis habemus in NVCLEO IVRIS PVBLICI, Giesæ olim edito, cui selectores *Besoldi, Klockii, Bertrami, Syringii, Schuzii, Vietoris* aliorumque dissertationes sunt insertæ; Continuationem eius se suscepturum promiserat *Io. Otto Tabor*, sed id deinceps factum non est, præstitisse autem videtur *Ahasuerus Fritschius*, dum *exercitationum variarum iuris publici volumina*, quatuor partibus comprehensa procurauit, in quibus præcipuorum inter recentiores doctorum dissertationes habentur. Sed & CONRAD. BIERMANNVS plures Westphalorum commentarios in vnum congessit, qui tribus tomis Hanouiæ sunt excusi: Aliqua etiam huius generis in *disputationibus Basileensibus*, extant, ac in *repræsentatione reipublicæ Romano-Germanicæ*, quæ Noribergæ prodiit. *Proprias* vero *dissertationes* suas nouissime ipsi coniunxerunt IO. STRAVCHIVS, HERMAN. CONRINGIVS, & IO. FRIDERICVS RHETIVS. In quibus sane potissima publici iuris capita pertractantur, & optimi subinde aliorum operum concinnatores allegantur laudanturque.

Qui per *occasionem* heic aliquid tradiderunt, nonnulli sunt ex *rerum cameralium compilatoribus*, qui multa, occasione controuersiarum inter status actarum, in hanc rem passim habent, sed practice, & secundum vsum forensem adornata: Intelligo autem, consuetudinum, decisionum, consulationum, sententiarum, votorum

torum cameralium, imo integrorum processuum collectores, quo numero excellunt ADRIANI GYLMANNI *symphoremata*, quinque tomis contenta, cui sextus PAVLI MEICHSNERI *decisiones a Nicolao Thesmero* in quatuor tomos dispositæ additus est. BARTHII & RAPHAELIS SEYLERI *sententiæ camerales*: CASPARIS KLOCKII *relationes*: & aliorum quædam, a *Deckhero* editæ. Referuntur huc etiam *consilia* quorundam ICtorum de rebus, ad publicum statum pertinentibus, subinde lata, qualia in *Argentoratensibus* multa reperiuntur, & ex *Klockianis* totus primus Tomus continet.

Ex libris subsidiariis aliqui ad *vetustiora*, nonnulli ad *præsentia* magis disciplinam suam accommodarunt. Prioris generis illi sunt, qui vocabula barbara & medii æui explicauerunt, tale est *Friderici Lindenbrogii glossarium siue interpretatio vocum obscuriorum, quarum in codice legum antiquarum mentio fit* Sed & *Meursii, Rigaltii, Wendelini, Watsii, Vossii,* similes labores eodem pertinent: vt & *Spelmanni Archæologia: Goldasti vocabularium Alemannicum: Wilhelmi Sommeri dictionarium Latino-Saxonicum*; &, quod primo fere loco debebat apponi, *Cornelii du Fresne glossarium Latino-barbarum*, cuius operis Parisiis editi exempla, cum parari antea non facile poterant, Francofurti idcirco ante aliquot annos id recusum vidimus.

Propiora tempora respiciunt *Lexicographi* iuris publici, quos inter est PAVLVS MATTHIAS WEHNERVS, *obseruationes practicæ* singulari elogio merentur commendari, desumsit argumenta ex ipsa rerum gestarum indole, in iis præcipue, quæ ad comitiorum & iurium, statusque nobilitatis immediatæ cognitionem pertinent, accurate tradidit, vnde sicut aliis suis scriptis, & commentariis in ordinationem puta iudicii Aulici ac Rothwilensis, ita hoc quoque insignem consecutus est autoritatem. Idem dici non potest de CHRISTOPHORI BESOLDI *thesauro practico*, vtut enim maior cumulus hic reperiatur, eorum, quæ vsui practico inseruiunt, tanto tamen cum selectu, ac Wehnerus, illa non disposuit, nam reperiuntur quædam congesta, quæ nullius pretii, & vt in publicum edantur, fere indigna, apparent; nec omnia manu Be-

 soldi

soldi sunt profecta, cum studiosorum quorundam opera, vti aliis suis scriptis, ita hoc quoque, vsus sit, quibus ille librorum subsidia exhibuit, cætera diligentiæ eorum relinquens, vt quæ notatu digna existimarent, per excerpta in vnum locum conducerent, factum hinc est, vt plurimæ res citra iudicium, & sub titulis minus commodis exhibeatur: præterea multi autores, sæpe etiam falso allegantur, quia tales nunquam inspexerunt, vt adeo cauere debeant iuris publici cultores, ne, quod tabulis forensibus in allegationibus Barbosæ, iisdem heic obueniat, quando securius loca absque cura vlteriori exscribuntur. *Supplementa* in Besoldum scripsit *Ditherrus* & nouissime *Fritschius*, in quibus saltem collectionis industria laudatur. IO. IACOBI SPEIDELII *speculum obseruationum*, pro continuatione laboris Besoldiani haberi debet, Besoldo enim intima necessitate coniunctus, vitæ deinceps, ac religionis quoque habitu, æqualis penitus fuerat, vnde & hac re eandem imitari voluisse videtur. Cæterum quamvis in Speidelio multa quoque non necessaria habeantur, inserta tamen sunt quædam monumenta inedita,ob quæ carere eodem vix possumus,& in hac *sylloge* quoque eius commendatur, cuius editionem locupletiorem concinnioremque a Magnifico Viro, *Io. Iacobo Curtio,* consiliario sanctiore & Pro-Cancellario Wurtembergico, pridem adornari ceptam, & quamprimum per grauiores labores licuerit, absoluendam, eruditus orbis expectat. Non nisi compendiaria est opera *Abasueri Fritschii*, in *manuali iuris publici*, quod ex scriptoribus melioris notæ concinnatum videtur. Posset ex tractationibus comitialibus & cameralibus quisque propria industria, sibi eiusmodi *indicem* facere, collectione singularium materiarum, sub certis titulis instituta, qui vsum hunc subsidiarium, quoties opus esset, præstaret.

Quoniam vero multa hic occurrunt, quæ literis consignari neutiquam solent, ergo *commercium* succedit, cum *viris Pragmaticis*, vsuque rerum spectatis, id quod peregrinationibus, literis, colloquis familiaribus, institui potest atque obtinere *primum* se elegisse præfert *Seuerinus de Monzambano*, quando Monasterio ad *Ratisbonensia Comitia* se abiisse, inde cæteras *Germa-*

niæ

niæ præcipuas aulas, *Cæsaream, Saxonicam, Brandenburgicam, Brunsuicensem, Palatinam Neoburgicam & Electoralem, Moguntinam, ac Wurtembergicam* denique, lustrasse, operosius describit. Illustre est hoc medium, sed cuius scopum paucissimi revera attingunt, propter insignes abusus, queis ipsæ peregrinationes corrumpuntur, sicut de his quidem prudentiorum infinitæ querelæ exstant, qui de cætero regulas quoque egregias subinde proponere non desinunt, ad quarum ductum adornari debeant peregrinationes, quales heic intelligimus. Præstitit illud *Iustus Lipsius*, peculiari *epistola* ad Philippum Lanoyum, quæ in centuria prima, vicesima secunda est integra vero *dissertatione, Io. Henricus Bœclerus, de peregrinatione Germanici Cæsaris*, quæ hoc loco excellenter commendari meretur. *Alterum*, quod in *literarum* communicatione, quam *correspondentiam*, latinitatem insuper habentes, appellant, consistit, quo sumtuosum minus, ita difficilius, vel periculosum magis esse solet, vel enim tam aperte animi sui sensa proponere non audent scriptores, vel vbi liberius factum hoc fuerit, ab aliis epistolæ tales intercipi facile, saepe etiam insciis & inuitis autoribus, in publicum proferri possunt: obuia sunt passim specimina huius generis magna & multa, quid vero de eiusmodi publicatorum consilio haberi, & qua ratione scriptores secretiorum literarum vel defendi possint, vel excusari, singulari *epistola* demonstrauit CHRISTOPHORVS FORSTNERVS, cum suo exemplo tale quid fuerat expertus. Alias summis viris hic modus adamatus est, quorum *literæ mutuæ, in bibliothecis asseruatæ*, quanti æstimari debeant, norunt qui vltra vulgus sapere didicerunt. *Vltimum*, quod in *conuictu* ac colloquiorum consuetudine posuimus, tutissimum simul ac vtilissimum haberi debet. Antiquis hoc maxime in more positum erat, vt nobilis adolescentes, non nisi in contubernio & comitatu magnorum Ducum ac legatorum, peregre esse paterentur, vt sub his quasi magistris militiam ac ciuilem prudentiam condiscerent, a quo licet hodierna consuetudo valde desciuerit, tamen veteris instituti vestigia subinde apud cordatiores licet reperire, non loquor de his, qui in seruitiis publicorum nego-

tiorum tractatorum constituti, frequenti horum assuetudine, egregiam rerum ciuilium notitiam sibi comparant, se de illis, qui professa opera ex tali conuersatione proficere intendunt. Ita, quem modo laudauimus, *Christophorum Forstnerum*, vergentibus ad senectutem annis, nobilissimos quosdam secum habuisse hospites, nouimus, quibus tum cæterarum rerum scientiam tum præcipue notitiam publici status, ex longa reipublicæ administratione partam, luculentissime insinuauit, & quæ in secretioribus antea habuerat, liberaliter communicauit, qui quanta vbertate percepta recesserint, vel solum nuper defuncti B. Por n ri exemplum testari potest. Verum non patiuntur, se regulis istis concludi, quæ pro ratione occasionum, sæpius captanda magis quam eligenda sunt: aliis hoc, aliis isto frui medio, conceditur, nonnullis omnia iunctim patent; de se sane *Thuanus* in *commentariis de vita sua* ingenue fatetur; *plura se in* LITERIS *hominum literatorum, & amicorum* CONSVETVDINE, *quam proprio labore profecisse;* atque iterum in opere historico, *per* PEREGRINATIONES *in adolescentia, virorum illustrium, tota Europa, aut* PER LITERAS, *aut coram contraxisse* FAMILIARITATEM, *Gallorum inprimis, qui res magnas sub regibus gesserant*, commemorat.

Vt autem in plenam sui perfectionem denique exsurgat hoc opus, *vsus* & *exercitatio*, atque hinc coorta *experientia* rerum *propria* præstabit. Nam vt recte *Cicero: Vsus omnium magistrorum præcepta superat*. Causam exposuit Homerus: quia hinc *noui & scio singillatim, quæ bona, quæ mala sunt*, quæ ita, aut aliter sese habent. Vbi tamen semper *alienam*, quæ ex patriæ historiæ repetitione hauritur, coniungi velim, non solum, quod sola ista *seris* nimium venit ab *annis*, vt poeta loquitur, sed &, quod huius vis præsentior sit, imo certior quoque, & ad vsum hunc expeditior. Sane *Cominæus* non tam lectione, quam tractatione rerum spectatus *posse aliquem in historia paucis mensibus plus discere, quam plures senes, si congerant, experientiam*, profiteri non dubitauit, *historiarum secundo*.

In Oratore I, 4.

Commonefacit nos hic locus, vt de *subsidiis Germanicæ histo-*

historiæ paulo vberius differamus, quæ enim supra dici ceperant, non nisi operam Isagogicam respicere debuerunt. *Historiam* autem cum dico, non præcise eam intelligo, quæ opere *pragmatico* contexta est, quamque veteres potissimum sectabantur, sed largius eam vocem vsurpo, quatenus commentarios historicos, quos *acta publica* nunc vocamus, significatu suo complectitur. Licet enim inter hæc duo insignis alias sit differentia, cum in illa quidem longa maior requiratur eruditionis apparatus, de cuius requisitis, specialis *Casauboni ad Polybium præfatio*, & *Vossius in arte historica*, disseruerunt, vt inter scripta hominum non inueniri rarius quicquam, quam historiam legitimam & omnibus numeris absolutam, haud immerito dixerit *Verulamius*, hodie tamen vtilius esse credunt, si publice actorum formales scripturæ eius vice edantur, sicut ex *dissertatione Bœcleriana*, qua *comparatio historiæ* & *actorum* instituitur, potest apparere; in rebus imperii nostri vtriusque generis specimina habemus. II. de augment. scient. 15.

Quia vero respublica nostra quando *imperii* nomine signatur, complexum aliquem denotat plurimum, nominatim *Romani* quod vocant *imperii, Italiæ*, ac *Germaniæ regnorum*, diuersis titulis, modis, ac temporibus, coalitorum acquisitorumque, in singulis origines ac progressus ex propriis scriptoribus deriuari debent; quod cum superiorum temporum Doctores non satis obseruarant, grauissime sæpius sunt halucinati. Sed *Imperium* quidem *Romanum*, inde a conditore Romulo, regia potestate administratum, tandem per libertatem in cæsarum monarchiam denuo prolapsum, claris admodum et multis nobilibus veterum monumentis est commendatum, vt recentiorum industria, vel eloquentia, aliquid ei siue lucis, siue dignitatis, adiungere, neutiquam possit. Pertinent huc vniuersæ *Romanæ historiæ* periodi, inprimis autem ceu translationi in nostros propiores, qui *vitas cæsarum* describendas sumserunt scriptores, heic vsum præstare possunt. Quales sigilla isti sint *Conradus Gesnerus*, *Georgius Draudius*, *Martinus Hanckius*, aliique peculiaribus libris exposuerunt. De *ordine Romanæ*

historiæ legendæ, *Adrianus Politus* commentatus est, quem vna cum *Balthasaris Bonifacii excerptis de quadraginta Romanæ historiæ scriptoribus*, & *Caroli Sigonii de iisdem iudicio*, ante aliquot annos *Busmannus* Helmestadii edidit. Sed plura sunt huius generis scripta, quam vt heic debeant commemorari, videndi sunt, qui professam operam huc intenderunt.

In *regno Italiæ*, imperio contradistincto, diuersæ quoque occurrunt epochæ, variarum gentium dominationibus, se insecutis, discretæ: ruente enim, siue ignauia imperatorum, siue ducum perfidia, siue ipsa etiam fatorum necessitate, ad interitum suum, isthoc imperio, varii populi incursionibus illud primum vastarunt, deinceps in partibus decerptis peculiaria *regna* sibi condiderunt; eorum tria solenniora annales tradunt, donec Francorum armis acquirerentur, *Herulorum* nempe, *Gothorum*, & *Longobardorum*, quorum res memoratu dignas præclare recensuit *Sigonius*, illorum quidem, operis sui, de *occidentali imperio*, XV. XVI. XVII. XIIX. XIX. XX. *libris*; huius vero, in *historia de regno Italiæ*, viginti libris instructa: eodem pertinent *Pauli Warnefridi Longobardica*, inter scriptores historiæ Augustæ a Grutero edita.

In *regno Germaniæ*, præter vetustissimum statum quem *commentatores* ad *Taciti Germaniam*, explicauerunt, necessaria præcipue est cognitio illius periodi, qua sub *Francorum* nomine, Germanicæ ac Gallicæ res adhuc erant permixtæ, nam in accurata harum euolutione multa continentur, quæ ad definiendas controuersias publicas, hodie vigentes, eximie faciunt. Scriptores eo pertinentes præter alios *Pithœus* edidit; maiori tamen conatu exhibuerunt *Andreas* & *Franciscus du Chesne*, pater & filius, in *corpore scriptorum Francicorum V. voluminibus* comprehenso, cuius priores tomi ad nos attinent: sed & horum aliqui in illis comparent, qui cæteros nostratium scriptores, post separatum Gallicum regnum Germaniæ mediæ rationes ab Ottonianis temporibus ad Maximilianum I. vsque, excolere professos, in certa volumina colligere, & secundum seriem temporum exhibere sustinuerunt. Atqui hi sunt, quos excellenter hic laudatos volumus, illustres rerum

Ger-

Germanicarum collectores, *Schardius* quatuor, *Pistorius* tribus, *Vrstisius* vno, vno *Reuberus*, ac *Freherus* iterum tribus tomis, qui iunctim bibliothecam historiæ patriæ conficere possunt. Inde decerptos quosdam scriptores *Reinerus Reineccius*, *Henricus Meibomius*, & *Fridericus Lindenbrogius*, seorsim ediderunt, additis vel notis suis, vel codicum meliorum emendationibus. *Rerum Alemannicarum scriptores, Melchioris Goldasti* curæ debemus. Vt autem nomina horum omnium, & quid de singulis haberi debeat, partitim tradamus, necessum non est, postquam illorum indicio *Martinus Zielerus* totum librum impleuit, hoc vero *Michael Herzius*, in bibliotheca sua, quadantenus præstitit, ne de *editoribus* ipsis dicam, qui initio operum, ea quæ ad notitiam autorum comprehensorum pertinent, subinde annotauerunt. Meminit equidem *Martinus Hankius*, in præloquio ad *scriptores Byzantinos*, se vti in *his*, ac *Romanis* exhibendis fecerat, in *Germanicis* quoque iam curam priuatam impendisse; quoniam tamen, an omnino, & quando, absoluturus sit istam operam, promittere ipse non potest, vix erit, vt certi hinc aliquid speremus.

Per syllogen *actorum publicorum* alii incesserunt, vti MELCHIOR GOLDASTVS, quia latina lingua virorum illustrium consultationes collegit in vnum, sub titulo, *politicorum imperialium*, acta autem, quæ vernacula erant conscripta, exhibuit alio volumine, der Reichshandlungen. Loco continuatoris haberi debet *Hortlederus*, sicut ipse Goldastus in præfatione sua monuerat; Sed & *Lehmanni acta pacis religiosæ* eodem debent referri. In rebus nostro seculo gestis *Michael Casparus Lundorpius* idem propositum habuit, quatuor tomis *actorum publicorum* editis, videtur Hortlederum voluisse imitari, sed assecutus non est, de cætero diligentiam multam, ac fidem quoque præstitit: in posteriori editione quædam omissa sunt, quæ status nonnullos videbantur offendere, quare prior illa plenior subinde quæri solet. Post mortem Londorpii, ab aliis *continuatio* istius laboris est suscepta, donec ad *octauum* vsque, siue continuationis quartum, tomum ascendit, inde

per

per aliquot annos operis huius interstitium fuit. Superiori anno demum continuationis quintus, & hoc anno sextus, atque ita totius operis Londorpiani, *nonus* ac *decimus*, tomus in publico comparuere, de *vndecimo* quoque iam spes facta est. Optandum tamen, ne, quod in vno aut altero eorum, qui iam extant, subinde reperitur factum manus imperita accedat, qua institutum tam nobile facile corrumpitur. Id quod etiam, nisi fallor *theatro Europæo*, contigit, cuius *tomi duo priores*, quo magis laudari debent, quod singula ex fide dignis monumentis, ex archiuis, aut communicatione ipsorum principum, ex literis ministrorum, qui negotiis interfuerunt, videntur recensere, ita eo minus posteriores possunt æstimari, qui, cum eadem præsidia præ se ferre volebant, reuera quoad magnam sui partem, non nisi ex rumoribus vulgi desumtas relationes, sæpius sibimet ipsis, post tertiam aut quartam paginam contrarias, continet: nam quod hisce pretium *ex picturis et imaginibus* tribuere voluit, *Pacificus a Lapide*, id omnino vanum est, & non nisi pueris gratum: existimauerunt homines prudentes rectius facturos esse, si qui cum aliis ludicris & ad historiam nihil spectantibus, qualia plura illic continentur æneas chartas demere sustinerent, vt sic & pertinentium istorum librorum, & labor lectoris minueretur. In *diario Europæ*, quoad potissimas iterum partes, nec fides, nec diligentia, nec cætera, qualis hic requirebatur, apparatus copia conspicitur: memini etiam conquestos esse summos viros, in subnexis actis aliquando studium partium viguisse, & inserta fuisse, quæ non sine huius aut illius iniuria publicari poterant. In tomis tamen nouissimis melior disciplina adhibebatur: sed nunc iste labor, quia nimium excreuerat, quodammodo suspensus est, non singulis semestribus, vt fieri hactenus consueuerat, sed annis posthac, & fortasse etiam longioribus spatiis, continuandus, negari tamen interea non poterit, quin per modum *appendicis* subiuncta acta, variique libri, vsum subsidiarium præbere possint illis, quibus tabularia alias præclusa sunt. Cæterum *Aitzemæ, Brachelii, Thuldeni, Valckeneri,*

nieri, *historicis operibus* recentissima quædam acta reperiuntur coniuncta, vt hinc quoque laudem suam obtineat. Sed & *acta pacis Neomagiensis*, Gallica lingua Amstelodami edita, & in quatuor tomos distributa, reperiuntur: quæ deinceps in vernaculam nostram transtulit, Lipsiæque publicauit *Io. Leonhardus Sauderus*. Et fortasse in posterum non deerunt, qui maiori, quam olim factum est, diligentia, eiusmodi acta publica colligent.

Aliquando & *chronica* hic inseruiunt, non vulgaria illa ac anilia, sed selecta, erudita, in quorum numero sunt *Auentini annales Boiarici*, non magis ex titulo suo, quam chronicon Lehmannianum, æstimandi; nam res ad Bauaros non tantum, sed totum quoque imperium, spectantes continent, in quibus sedulus antiquitatum indagator fuerat ille, ac insuper in stylo grauitatem, maturitatem in iudicio, & scribendo libertatem, palam demonstrauit, quod posterius effecit, vt Romanæ aulæ sectatoribus minus placeat, cum eadem *παῤῥησία* pontificum ac aliorum acta examinet. Pari laude *Chitræi chronicon* habebis, in quo animi candor, rerum peritia, apparatus archiuorum, ac cætera subsidia interiora, comparent, præcipue vero genealogica scientia extat. Ad eandem classem *Hundii Salzburgensia*, & *Spangenbergii Saxonica* debent referri.

Monumenta *inedita*, quæ in archiuis passim asseruantur, etiam cum non nominantur, illustrem in his locum obtinere, ex se manifestum est: talia sunt publice *actorum commentarii*, a negotiorum tractatoribus subinde, certo ordine confecti, item *chronica* varia, *anonymis* autoribus scripta, quorum exempla in *bibliothecis* etiam latent. Huius generis aliquod in Forstneriana extitit, satis præclarum, quo Bœclerum, in concinnandis ad Æneam Syluium notarum initiis, vsum esse, nouimus. Fœcunda edendis eiusmodi chronicis Germania nostra superiori potissimum seculo apparuit, quibus multa cautione vti debemus, neque enim vllam autoritatem habere possunt, nisi ex contextu cæteræ historiæ deingenu-

genuitate eorum prius constiterit. Laudat *Rachelius* bibliothecam *Guelferbytanam*, eo etiam nomine, quod plures *MSCtos codices* possideat *Ioannis Schwarzkopffii*, quibus ille de rebus imperii, quicquid per totam vitam obseruauit, egregie consignauit. Summe autem æstimari merentur, si haberi possunt, *protocolla*, quæ quantam rerum descriptioni dignitatem ac splendorem conciliare valeant, facile apparet, si quis eiusdem argumenti tractatores, quorum vnus subsidiis hisce instructus erat, alter vero caruit, inter se comparauerit: exempli loco nominabimus *Christophori Broweri annales Treuirenses*, ex hoc apparatu adornatos, quos longo sane interuallo reliquit *Kyriander*, in opere, sub eodem titulo, sed absque istis fontibus, antea edito.

Refero in hunc censum *scripta* quoque *polemica*, quibus controuersiæ publicæ agitatæ continentur, quorum ingens numerus est editorum ac ineditorum. Horum alia quidem *statum inter sese*, alia *horum cum imperatore*, alia *totius imperii cum exteris*, subortas lites, concernunt. Prioris generis sunt v. g. quæ in *causa Erfurtensi*, *Wildfangiatus*, *iuris coronandi imperatorem*, & aliis pluribus, nouissime extant, qualia ex cameralium processuum extractoribus, vt & ex numero prætensionum, apud *Bœclerum* initio, amplius cognoscuntur, & de quibus alibi commodior occasio dicendi dabitur. Circa imperatoris potestatem, in rebus religionis, feudorum imperii, & similibus, tam superiori, quam nostro seculo, multa in disceptationem venerunt, belli potissimum tempore, quorum pars multa per pacem Westphalicam nunc composita est. Pertinent huc publicata varia *archiua*, & *cancellariæ*, vti sunt *cancellaria Hispanica: cancellaria secreta Anhaltina: archiuum vnito protestantium: relata Donawerdensia* cum oppositis libris, & huius generis alia. Inter exteros Galli præcipue hac in re intelligendi sunt, de quorum *prætensionibus* & *prærogatiuis super imperium*, annis supra elapsis, *Auberius* aduocatus Parisiensis, loquax esse voluit, *Kippingio*, *Martinio*, *Maio*, aliisque nostratium certatim refutatus: qualium

Not. Imp. lib. V. c. 2.

lium disceptationum argumenta plurima antea quoque *Chifletius* perstrinxit, in operibus aduersus *Blondellum* editis, adeo vt vtriusque huius scriptoris libri heic quoque nominandi sint.

Sed quoniam ista occasione par nobile scriptorum nominaui, quorum labores in hoc genere longe excellentissimi sunt, quique specimen insuper illustre exhibent, quomodo in istiusmodi controuersiis vel tractandis, vel ab aliis tractata iudicandis, incedere debeamus, non importunum puto fuerit, si quæ ad interiorem eorum notitiam pertinent, heic superaddere studeamus. Et *Ioannes Iacobus Chifletius* quidem, in ipso æstu consulationum, ac tractatuum, pacis Westphalicæ, postquam illic Galli, prætensionibus suis in imperium & prouincias reliquas, ac prærogatiua ante Hispaniarum regem publice sæpius se iactassent, Ao. 1645. *vindicias* suas *Hispanicas* edidit, mandato regio auctoratus, quibus professa opera pro Hispanis pugnauit, ita tamen vt subinde, quæ ad imperatoris ac imperii nostri iura pertinent, asserere non desierit. Quale opus cum propositis suis aduersari cernerent Galli, de refutatione cogitarunt. Vixerat eo tempore in familiaritate *Sarrauii*, Galliæ cancellarii, *Marcus Antonius Dominicus*, cui is prouinciam hanc imposuit, hic autem tumultuaria, opera intra quatuor menses, præstitit, confecto libro, cui *assertoris Gallici* titulum indidit, quem cum viro, & gentis, & eruditionis, illustrissimæ, *Petro Puteano*, monstrasset, ille editionem, consilio valde salutari, dissuasit, quod Dominicum Chifletio prorsus imparem videret, nec præter rationem; vbi enim Chifletius optimorum monumentorum fide sua confirmauerat, Dominicus, non nisi propriis inuentis circum vagabatur: quare ad *Dauidem Blondellum*, hominem doctissimum, & qui suam, in rebus huius generis, peritiam, nobilissimis antiquitatum ecclesiasticarum commentationibus, litterario orbi iam demonstrauerat, Dominicum cum libro suo allegauit, iudicium illius expetiturus, quem cum eadem sentire intelligeret, non defuit per literas ipsum Blondellum rogare,

gare, vt ſuppetias Dominico ferret; quæque deeſſent operi eius, haud grauatim ſuppleret. Non defuit huic inſtituto Blondellus, perfectionem huic ſcripto adornaturus: & cum in eo eſſet, Dominicus moræ pertæſus, & quod ſuo ſibi labore nimium placebat ipſe, opus iſtud a ſe leuiter confectum, Pariſiis An. 1646. inconſulto Puteano ac Blondello, edidit, ex quo ignominiam ſane non leuem Galli ſentire ſunt coacti: cum enim nullis idoneis nitebatur argumentis, facile a Chifletio, quod & iſtis animus præſagiebat, poterat conuelli, id quod mox etiam Chifletius fecerat, incenſis *lampadibus hiſtoricis*, & *facibus ad vindicias Hiſpanicas*, quas ſplendidiſſima editione reiterauit, ac cum refutatione coniunctim exhibuit. Ab eo tempore labor in ipſum *Blondellum* eſt deuolutus, qui famæ quidem Dominici pepercit, per ſingulas tamen partes Chifletium aggreſſus eſt, publicato opere, *Genealogiæ Francicæ;* pro cuius *aſſertione*, deinceps inter Chifletium & Blondellum, cauſa amplius agitabatur. Ingens eſt vtriusque eruditio, in rebus potiſſimum æui illius, de quo agunt, in cæteris quodammodo differunt: nam *Chifletius* vtitur ſtylo graui, plano, facili, vt ſine labore poſſit intelligi; *Blondellus* obſcurior eſt, & meditatione indiget: *ille* paulo iactantior eſt, reperto forte loco, quem pro ſe militare opinatur; *hic* vero penitus immoderatus eſt, vt nec affectibus imperare poſſit. *Vterque* tamen non futiliter, ex brocardicis diſputat, nec textu iuris vno alteroue ex Iuſtinianeo corpore decerpto, multo minus auctoritate recentiorum doctorum, nititur, vt vulgus eiusmodi ſcriptorum facit, & Dominicus quoque egerat: ſed in ſingulis momentis, ſubſidiis plane idoneis, ſcriptoribus æqualibus, & documentis illorum temporum, de quibus agunt, quisque tradita ſua confirmat: quem locum vnus adducit, alter ita examinat, vt quantum veritati concordet, illico concedat, & de melioribus præſidiis ſollicitus ſit, exemplo ſane, vt laudabili, ita ab his, qui ſimilia tractant argumenta, imitando. Sed de his ὡς ἐν παρόδῳ.

Tandem

Tandem *extera* quoque *historia* negligenda non est, quoniam in contextu rerum Europæarum, præcipuam partem Germania sibi vindicat: id quod vel inde constat, quod nunquam turbata hæc fuerit, vt non Europam vniuersam fere simul inuoluerit: factum hinc est, vt exterarum rerum nihil alienum a nostris penitus videatur. Propius tamen contingunt *Hispanica*, ob interiorem horum cum Austriacis coniunctionem, cuius ratione, non minus priori seculo Caroli V. auspiciis, quam hoc nostro, sub Ferdinandis, multa communiter gesta sunt. Cum *Gallica*, superioribus temporibus, plurimæ fuerant disceptationes, nunc per pacem Monasteriensem, ac nouissimam Neomagiensem, per armistitium denique in vicennium nuper contractum, ob prouincias quasdam vel plane cessas, vel possessione nuda relictas, vel aliter circumscriptas, multo sane ampliores redditæ, quatenus de finibus, de fortalitiorum exstructione, ac aliis quamplurimis capitibus, ad religionem quoque pertinentibus, in hunc vsque diem lis est. *Italica* huc referuntur, non solum ratione solennitatum, in coronationibus olim obseruatarum, quarum descriptione plurimum hisce debetur, sed &, quod imperium, in ipsam Italiam olim subactam, adhuc dum ius sibi vindicat. *Hungarica* ab eodem tempore coniungi ceperunt, quo ex Germanis nostris reges sibi constituerunt. Isti: atque ea ratio etiam in *Britannia*, hinc alias paulo remotiore, apparet, quod isto regno apud nos aliquando imperatores vidimus, ne de aliis rationibus, ad propriora secula pertinentibus, dicamus. *Belgium* olim Germaniæ feudum fuerat, & quamuis liberum nunc sit, vicinitatis tamen iure, & mutuæ vtilitatis sensu, arctius nobis innectitur. *Suecica & Danica*, vel saltim Pomeraniæ ac Holsatiæ intuitu, huc pertinent. *Polonica* paucos ante annos in aula cæsarea peculiari penitus consideratione & respectu politico æstimabantur, quorum reges matrimoniis etiam domui Austriacæ se coniunxerant; sed videtur deinde iste nexus paulatim exoleuisse, nisi quod nuper admodum

dum fœdera apparuerunt, initio belli Turcici præsentis satis proficua, quæ tamen nunc iterum tepere videntur.

Notant autem in his eruditi *artificium singulare*, quo ex scriptis exterorum singularia multa ad rem Germanicam pertinentia, rectius quandoque, quam ex ipsis Germanis possunt erui, quod isti, quæ peregrinationibus, vel magnorum virorum commercio, de nostra republica didicerunt, maiori subinde sollicitudine ac industria, operibus suis, per digressiones, soleant inserere. Ita olim Romanam historiam securius ex *Dionysio Halicarnassæo*, aliisue græcis, peti, creditum est, quod hi res peregrinas maiori diligentia indagauerit quam ipsi, queis ea, quæ ante oculos posita sunt, plerumque negliguntur, sed exterorum quoque fides sæpe certior est, cum deficiat causa odii & fauoris, domesticos scriptores sæpe nimium agitantis. Ex iisdem rationibus in historia belli Germanici cognoscenda *Seuerinus de Monzambano*, scriptores *Italos* prætulit, quod *horum fidei Germani ipsi plus, quam ciuium suorum tribuant, queis manifestum fere in partes studium, aut verum periculi metu anfractum.*

Sed caute tamen heic incedendum puto, magnoque *iudicio* opus est: vtut enim diligentia & fortasse etiam fide, de quo tamen interdum dubitaueris, satis sint conspicui isti, peritia tamen rerum interiori destituuntur plerique, vt sæpius etiam fallantur. Notare licet exempla huius generis in *Bodino*, etiam cum non affectibus abripitur: sed & in *Posseuino* ac *Grammondo*, tales errores occurrunt, propriis locis corrigendi.

Verum hæc quidem ad necessitatem huius disciplinæ pertinet: ad *decus* vero, & *commoditatem* referunt *cognitionem variarum rerum publicarum* cæteram, vt ex earum institutis, de nostris iudicare ac vtilitates, vtrinque obuenientes, inquirere, ratiocinarique tanto rectius possimus. Nam & tales *descriptiones* commendabantur apud *veteres*, quorum tamen labores fere omnes perierunt. *Aristotelis* opus de *republica*

plurium

plurium gentium, Diogenes Laertius, in vita eius laudat, ſed ſolum fragmenta extant, & ſpecimen aliquod, *ſecundo politicorum* libro inſertum eſt. Idem contigit *Heraclitis Pontici*, *de rerumpublicarum & imperantium diſciplina*, libris, quorum reliquias Ariſtotelicas coniunxit *Daniel Heinſius*. Duas respublicas *Xenophontis*, *Lacedæmoniam*, *Athenienſem*, habemus facundia incomparabili ſcriptas. *Nicolai Damaſceni* excerpta, apud *Photium in bibliotheca*, leguntur. Præter hæc celebre eſt *Strabonis geographicum opus*, eleganti editione, a *Caſaubono*, exornatum; deſcripſit in eo non ſolum ſitum, & mores, ſed ſtatum quoque adminiſtrationis publicæ, vt pro exemplo eſſe poſſit, ad quod *itineraria* debeant confici. Negligitur a quibusdam, qui ex titulo librum iudicant, quod *geographia vetus* & exiguam hodie habeat vtilitatem, & multis difficultatibus implicata ſit; aſt iniuriam facit autori, qui pro mera geographia æſtimat, cenſuque eodem, ac Ptolomæum, eundem habet. Veteribus hisce coniungi debet *Vbbonis Emmii Græcia: Briſſonius de Perſarum Principatu: de publica Hebræorum*, *Petrus Cunæus*, *Carolus Sigonius*, *Bertramus*, ac alii, qui pari facultate ſcribendi pollebant.

Recentiores respublicas qui deſcripſerint, refert *Conringius*. Totius orbis respublicas tradere voluit *Gotfridus* in *Archontologia Cosmica*: laudatur id opus, ex *inſtituto* vtili non minus, quam laborioſo; ex *diligentia* ſingulari, qua ab illuſtribus peregrinatoribus accepta collegit; *ex monumentorum* raritate, & *ſtyli* germanici nitore; deſiderant tamen alii accuratiorem *temporum deſignationem*, cum enim quæ exterioris notæ ſunt, in rebuspublicis varie mutari ſoleant, parum proderunt eiusmodi deſcriptiones, ex quibus, quando quodque horum obtinuerit, non poteſt ſciri; ſed & *nomina eorum*, quorum autoritate vſus eſt, non adſcripſit, omnia ſibi ſoli credi voluit, quod in his rebus probari neutiquam ſolet. Quod Gotfridus præſtitit, etiam *Lucas de Linda*, edita *de ſcriptione orbis, & omnium eius rerumpublicarum* ſuſcepit, & ſe facere profeſſi

de ciuili prudentia cap. 14.

feſſi ſunt, qui *orbes imperantes*, & *politicos* in publicum hactenus varios ediderunt: princeps quorum autor eſt, niſi fallor, *Georgius Hornius*, ſed nituntur illi in pleriſque *traditionibus vulgaribus*, Hornius quoque recentibus *erroribus* cumulauit ea quæ ab aliis errata ſunt, vti facile apparebit, ſi quis ex veris fontibus tradita eius iudicare ſuſtinuerit. *Hermanni Conringii theſaurum rerumpublicarum* vulgauit ante complures annos *Oldenburgerus*, additis *annotationibus*, a ſe confectis; de quo opere quid habendum ſit, peculiari *epiſtola*, typis publicis, ſtatim poſt editionem iſtam paratam, edita; ipſe *Conringius* docuit. Inchoauit in his aliquid *Io. Andreas Boſius*, ſed præter generalem annotationem eorum, quæ ad *introductionem* in hanc notitiam, & παιδείαν pertinent, ac Hiſpaniarum regnum a quo, tanquam extrema Europæ parte, incipere, atque inde ad reliquas procedere, voluit, fere nihil abſoluit, vt ex opuſculo poſthumo conſtat.

Pertinent huc eorum labores, qui *varias rerumpublicarum deſcriptiones*, ab aliis adornatas, coniunctim ediderunt, quod *Caſparus Ens* & *Philippus Honorius*, in *theſauris politicis*, fecere: *Boterus* quoque operam in hoc collocauit, ita vt proprium etiam iudicium adhiberet, cum priores illi non niſi collectionis, aut translationis, ex alia lingua, induſtriam, præſtiterint; ſimile inſtitutum apparuit in *rebuspublicis Elzevirianis*, quas maxime commendat *Gabriel Naudæus*, optarunt tamen eruditi, vt accuratior delectus fuiſſet habitus: aliquot enim occurrunt deſcriptiones, quæ reliquarum ſocietatem minus decent, quippe de plano arreptæ, & a ſcriptoribus, nullius, vel leuiſſimæ, autoritatis confectæ: in cæteris quoque nulla diſtinctio inter *recentiores* & *antiquas* obſervatur, quod omnino neceſſarium fuerat: alia opuſcula inſigniora *mutilata* exhibentur, aut penitus *omittuntur*, quæ commode coniungi poterant, exemplo Perſarum Principatus Briſſoniani.

Circumferuntur etiam *inditæ* plures ſtatuum deſcriptiones, in Italia præſertim, certo pretio venales, & negari

ri non poteſt, in illis quandoque ſatis egregias reperiri, vel ex Venetorum legatorum relationibus, vel aliorum virorum politicorum, in peregrinatione confectis monumentis, deſumtas; fraudes tamen ſæpe etiam fiunt, vt pro ineditis iactentur, quæ pridem apud Honorium aut alibi extant, vt propterea cognitione accurata in his, ne decipiamur, opus ſit. Poſſet ingens præterea cumulus afferri, ſi quis *deſcriptiones geographicas* & *itineraria*, infinito numero extantia, coniungere velit.

Summatim notandum eſt, pro diuerſa inſtituti ratione, quod ſectantur, qui ad reipublicæ alicuius deſcriptionem accedunt, etiam diuerſam hauriri vtilitatem, omnem autem, quæ huc pertineat, ex vno autore non haberi. Quidam enim *formam* regiminis *exteriorem* vnice ſibi proponunt, exhibitis ſolum principis charactere, & præcipuorum miniſtrorum nominibus, ac officiis, quales ſunt *regni Gallici deſcriptiones*, quæ aliquando ſingulis fere annis adornabantur: ſemel id factum eſt in *ſtatu Ferdinandi II.* Imperatoris, poſtea vero non continuatum; ſed & heic ipſe commentariolus, quoniam *Danielis Eremitæ* libellum famoſum eidem ſubiunxerant editores Belgæ, difficulter nunc haberi poteſt, ex quo acceſſio illa fiſco eſt addicta. Alii *politicum* addunt *iudicium*, & ad normam prudentiæ ciuilis labores ſuos inſtruunt, qua in re commendatur *Contareni reſpublica Veneta*, & *Smithi Anglia*. Nonnulli ampliori inſuper κρίσει, inſtituta populorum *ſub examen rationis ſtatus* vocant, eo exemplo, quo Ariſtoteles, in politicis ſuis, quarundam rerumpublicarum mores procoluit: ita *Traianus Boccalini*, non contentus ſimplici deſcriptione, aut politici iudicii vſu, cenſuram quoque addidit, ſæpius mordaciorem. Quæ omnia, quomodo ad præſentem diſciplinam propius debeant attemperari, oſtendit vir ſummus, *Ericus Mauritius*, pluribus inſuper nominatis fontibus, ex quibus *Gallici*, *Anglicani*, *Danorum*, *Suecorum*, *Polonorum*, *Hiſpanorum*, *Venetorum*, *Belgii Fæ-*

derati, Heluetiorumque, iurispublici cognitio, debe at hauriri: Aliquando fama erat, Helmftadienfes in animo habere, *aliarum gentium ius publicum*, certo contextu defcriptum, in lucem emittere, & iam quoque *ius publicum Daniæ*, illic impreffum, circumferebatur, cuius autorem *Conringium* laudabant; fed hic pro fuo agnofcere noluit, vlterior quoque labor omiffus eft: interea vero, quomodo in cæteris incedendum fit, ex ifto fpecimine condifcere facile licebit. *Ioachimus Hagemoierus epiftolas* incepit, de *præcipuis ftatibus Europæ*: cum moreretur, abfoluere inftituit V. CL. *Henricus Guntherus Thulemarius*, academiæ Heidelbergenfis profeffor.

Poffemus plura in hunc rem addere, fed nunc finiendum eft.

I. G.

IO. GEORGII SVLPICII, IC.

DE

STVDIIS ACADEMICIS IVVENIS NOBILIS

RECTE INSTITVENDIS

EPISTOLA.

I. G. SVLPICII, IC.

De

Studiis Academicis Iuuenis Nobilis recte instituendis

EPISTOLA.

Petiisti a me, Vir Generosissime, vt Filio Tuo, quem ad academias nunc, studiorum gratia, ablegare constituisti, regulas quaspiam praescriberem, ad quas vitae suae rationes attemperare posset. Et sane res est, vt necessaria, propter vagum philosophandi genus, nonnullis locis receptum; ita difficilis quoque, ei, praesertim, qui indolem naturae, ac caetera eiusmodi hominis, cui consulere debet, instituta, non satis habet perspecta. Faciam tamen quod imperasti, sed ita, vt per summa saltim capita isthoc officio mihi liceat defungi, perfectionis gloriam doctioribus relinquam, a quorum latere deinceps haerebit Filius Tuus, quique eundem optimis praeceptionibus instruere non desistent.

Caeterum id omnino certum atque indubitatum est, quod, quicunque ad studia literarum animum applicant, *natura* non minus quam *arte* instrui debeant, si quidem cum successu finem semel propositum cupiant obtinere. Naturae

donum appellamus *ingenii felicitatem*, iudiciique promptitudinem, qua solet supremum numen homines quandoque exornare, cuius efficacia assiduo labore excitanda, arte vero perficienda est. Posterius hoc vt recte contingat, pro *conditione personæ*, ac scopo, ad quem illa collimat, media quoque prudenter seligenda, ac commode applicanda sunt. Sane *Viri Nobilis* institutum, vel ipsa nascendi forte commonente, ad *reipublicæ gubernationem*, expeditionesque aulicas, pertinet, quare etiam in tempore addiscenda erunt, quæ artem istam, longe nobilissimam, sed non minus difficilem, efficere apta sunt.

In ista classe primum locum merito occupat, *prudentia ciuilis*, studium, quod vulgo *politica* appellatione signamus, a qua etiam *politici* deinceps nomen sortiuntur. Quæ ergo ad introductionem in hanc disciplinam pertinent, & a doctoribus varie requiruntur, ea consiliis eruditissimorum virorum, iam satis præclare sunt exposita; ex quibus laudari possunt, *Hugonis Grotii*, ad Beniaminum Auberium Maurerium, regis Galliæ legatum, *epistola*, quæ in volumine epistolarum ad Gallus, *decima sexta* est: extant quoque *Ignatii Hannielis, Iohannis Henrici Alstedii, Ægidii Lanckenii, Christophori Coleri*, eiusdem argumenti *epistolæ*, ad varios perscriptæ: item *Gabrielis Naudæi bibliographia politica*, & *Casparis Scioppii Pædia politices*, quales peculiari volumine collectas edidit *Hermannus Conringius*. Nota est etiam *Danielis Heinsii, de prudentia ciuili, oratio*, vt & *Ioannis Bornitii, de prudentia politica comparanda, discursus politicus:* ne de aliis dicamus, ex quibus iam pedum viam, qua eundum sit, studiosus Noster cognoscere poterit. Omnino autem prætereunda non sunt, iam laudati *Conringii* duo opuscula, quorum vnum *de prudentia ciuili*, alterum *propoliticorum* indice præfixo, in publicum vulgauit, a quorum lectione studium hoc felicissime auspicamur, sunt enim Conringii in hoc disciplinæ genere labores fere incomparabiles. Addi potest *Io. Andreæ Bosii* libellus posthumus *de comparanda ciuili prudentia, & scriptoribus* eo maxi-

me aptis, ante aliquot annos Ienæ editus, vnde plura in hanc rem subsidia cognoscere licet. Cæterum, vbi ad specialiora digrediendum est, ad tria potissimum capita redigere soleo, quæ ad vniuersum politicæ disciplinæ contextum pertinere possunt. Primum dico γνῶσιν πολιτικὴν, *scientiam politicam:* alterum φρόνησιν πολιτικὴν, *prudentiam politicam:* tertium denique ἐπιχείρησιν καὶ πρᾶξιν πολιτικὴν, *dexteritatem expediendi negotia ciuilia.* Equidem a postremo, quod in sensus incurrit, potissimum, vel etiam vnice, æstimare *politicum* vulgus assolet. Male, meo iudicio. Neque enim ars ista expediendi negotia aliquam vltra conditionem *empiricorum* valet euehere. Si quis vero mensuram *veri politici* optat explere, ei omnino priora duo capita sunt coniungenda.

Ad *scientiam* politicam pertinet *cognitio principiorum & fundamentorum primorum politicorum*, vtpote, quid sit, & in quo consistat natura politicæ, quis finis, quænam partes illius, quid sit societas, tam simplex, quam composita, & quænam vtriusque species, quid societas coniugalis, herilis, paterna, respublica, maiestas, quid iura maiestatis, quæ aliquando etiam magnis viris tricæ videntur. Sed quam non possimus iisdem carere, & quam multum sæpe conferat ad felicem definitionem rerum difficillimarum, accurata horum principiorum notitia, qua sine multi cætera doctissimi homines quandoque grauissime hallucinentur, experientia in re præsenti subinde ostendet. Sed vnde vera harum rerum cognitio petenda sit, si ex me quæratur: respondebo, maxime & ante omnia cauendum heic esse, ne ex *pseudo-politicorum*, quorum sectas postea nominabo, traditis, qualia per libellos etiam systematicos in publicum disseminarunt, falsa imbibamus principia, quoniam qui in his seducuntur, plerumque non sibi sed patriæ, publicæque, salutis dispendi aut periculo, labuntur. Id certum est, quoad fundamenta, de quibus heic nobis sermo est, *Aristotelis* autoritatem adhuc consistere: Vtut enim, quantum ad cæteras philosophiæ, præsertim speculatiue, partes attinet, luminibus, eius a recentioribus,

tioribus, ſcriptoribus, Renato Carteſio, Petro Gaſſendo, Thoma Hoppeſio, aliisque plurimis, valde officiatur; in politicis tamen ſi de primis γνώσεως πολιτικῆς principiis loquare, adhuc locum ſuum tuetur; & ſane, ſi illis adhuc viueremus temporibus vbi dedecori ſibi non ducebant nobiles, iuxta latinam græcam quoque emetiri literaturam, eamque ſibi familiarem reddere, non dubitarem, ſuaſor eſſe Noſtro, vt ad ipſius *operis politici* Ariſtotelici lectionem ſeſe accingat, quod in octo libris, qui adhuc ſuperſunt, conſiſtit, nam aliquos iniuria temporum eſſe deperditos connexionis ratio docet, & ab eruditis vlterius eſt oſtenſum, quam iacturam ſarcire anniſus eſt *Cyriacus Strozza*, Florentinus, in ſupplementi vicem, duobus libris, græce & latine, additis, qui etiam in vulgaribus editionibus reperiuntur coniuncti: niſi quod viri docti iudicauerint, Strozam ſæpe in illis locis, vbi minime neceſſarium fuerat, ſupplementa concinnaſſe, in neceſſariis contra omiſiſſe, diſciplinæque Ariſtotelicæ defectum non vidiſſe. Id tamen omnino fatendum eſt, quoniam indolem ſcribendi in politicis libris talem retinuit Ariſtoteles qualem in cæteris ſuis operibus Acroamaticis, proprio & conſueto ſibi charactere, demonſtrauit, hoc eſt, conciſum dicendi genus, in quo denſiſſimi contexti ſenſus, vt verbis pauciſſimis res maximæ proponerentur, & nihil niſi quod valde neceſſarium ad diſciplinæ integritatem afferretur, hinc paulo difficiliorem eſſe intellectu, vt interprete commentatoreque bono opus habeat. Valde autem dolendum iniquum fatum huius operis, quod cum cætera eius ſcripta, iam apud antiquos, ſuos repererint explanatores: Alexandrum Aphrodeſienſem, Philiponum, Ammonium, Simplicium, Michaelem Epheſium, Aſpaſium, Euſtratium; ſolum fere politicum opus ſuperfuerit, in quod græcorum veterum nemo commentaretur. Itaque primus, quantum mihi conſtat, id aggreſſus eſt *Thomas Aquinas*, quamuis ſucceſſum feliciorem non habuerit, quam veteres gloſſatores in illuſtrando iure Romano: interpretatio minus commoda eſt, ſenſum tamen autoris, per con-

coniecturas, iudicii virtute subinde assequitur, eo nimirum instituto, vt istius seculi homines solebant, qui iudicio satis pollebant, & diligentia supplebant, quod eruditionis ac præsidiorum reliquorum deerat. Post Thomam operam suam eodem impenderunt *Nicolaus Oresmius* Archi-Episcopus Baiocensis, *Ioannes Buridanus*, & *Genesius Sepulueda*, Hispanus; nemo tamen creditur superasse *Antonium Sedinum* Salodiensem, nisi quod spernendi quoque non sint labores commentatorum nostratium, *Camerarii*, *Giphanii*, ac *Piccarti*, quorum obseruationes eximiæ sunt. Sed quoniam ea est seculi nostri infelicitas, vt vix sperare liceat a iuuene nobili græcæ linguæ studium, eoque ipse addubitem, an is in vastum illud literarum pelagus se immissurus sit, saltim consulerem, vt *Danielis Heinsii paraphrasin*, non minore facilitate, quam eruditione adornatam, assidue legat; addita *Hermanni Conringii, in politica Aristotelis introductione*, quæ totam scriptoris indolem repræsentabit. Vbi per modum breviorum *præceptorum* vel *definitionum* res istas condiscere optat, compendium aliquot politicum ex Aristotele concinnatum, quale *Balthasaris Cellarii* haberi debet, vsum præstare poterit. Coniungi possunt interdum *Io. Henrici Bœcleri institutiones politicæ*, multa eruditione & præclara philosophia refertæ, quamuis ob styli difficultatem explicatione in locis nonnullis indigeant: neque spernendi sunt *Iacobi Thomasii* hac in re præstiti labores, præsertim in illis, quæ posteriori practicæ philosophiæ parte reperiuntur. Alterum prudentiæ ciuilis caput, quod φρόνησιν πολιτικὴν diximus, duas iterum continet partes, facultatem nimirum discernendi *honesta a turpibus, & vtilia a noxiis*, vt cum *Tacito* loquamur. Vno verbo *ius & vtilitatem*. Scopus enim ciuilis vitæ, id est, felicitas humana, per honestas & vtiles actiones obtineri debet, quæ duo in actu vitæ nunquam sunt separanda. Ius autem hic intelligitur omne, tam *diuinum*, quam *humanum*, cuius cognitio, vnde haurienda sit, postea suo loco, professo studio, dicemus; sufficiat heic indicasse necessitatem huius studii ad

I for-

formandum perfectum virum politicum. Sed & hoc obseruandum est, de *ethices* studio me heic seorsim nihil tradere, non quod eam philosophiæ partem, quæ circa honestum, eoque dirigendas hominis actiones, occupatur, negligendam censeam, sed quod, ex scriptoribus quidem illis, qui separatim hoc disciplinæ genus tractare instituerunt, pauci admodum sint, qui mensuram instituti sibi expleuerunt. Anne enim ethica, febriculoso variarum definitionum & diuisionum examine, ad sacram metaphysicarum speculationum abstractionumque regulam instituto; vt & recensione litigiorum, qualia circa summum bonum veteres habuerunt, in quibus centum octuaginta & quatuor sententias discrepantes *Varro* iam suo tempore numerauit; item ieiuna expositione eorum, quæ ad principia humanarum actionum pertinent: numero denique vndecim virtutum, absoluitur? & tamen vltra ista capita in libellis ethicis vulgaribus fere nil reperies. Quare cum doctores illi, qui iurisprudentiam vniuersalem, in formam artis redegerunt, totum hunc locum iam occupauerint, suique iuris fecerint, ita, vt quæ ad philosophiam morum referri debent, ac officia hominum complectuntur, præclare ab istis exposita reperiantur, satius fuerit, iuuenem Nostrum eo ablegare, scriptoribusque intra nominandis committere. Si quis tamen veterem docendi ordinem crepit, aut finium regundorum iudicio, aduersus putatiuam disciplinarum confusionem, experiri, propterea que litem nobis intendere cupiat, eidem facile manus dabimus; cui si iuuenis quoque Noster assentiri, & cum aliqua temporis profusione studium non satis cultum decurrere malit, nec indicia nobis ita deerunt, quibus ostensis scopulos heic obuios præuertere, feliciusque, ac alii vulgo, in regiam viam conueniente loco redire possit. Postquam enim, vt de veteribus rerum moralium scriptoribus incipiam, ea, quæ a *Socrate*, qui primus a studiis speculatiuis ad practicam morum considerationem transiit, item quæ a *Xenophonte*, *Platone*, *Musonio*, aliisque, in hanc rem præscriptæ fuerant, præceptiones, inui-

inuidente fortuna, fere omnes perierunt iterum ab *Aristotele* nobis heic auspicandum est, e cuius scriptis *decem libri ethicorum ad Nicomachum, septem ad Eudemum*, & duo, qui ἠθικὰ μεγάλα, siue *magna moralia*, appellantur, ad nos pervenerunt, ex quibus principem locum libri Nicomachici, qui per excellentiam quoque *ethici* solent appellari, hactenus obtinuerunt. Nacti illi sunt varios *interpretes*, veteres non minus quam recentiores, *Henricum Brabantinum, Thomam Cantipratanum, Io. Argyropylum, Adrianum Turnebum*, aliosque plures quorum nomina, & quid de singulis habendum, *brevi commonefactione*, exposuit *Iacobus Thomasius*, qualis *breviario ethicorum Aristotelis ad Nicomachum*, ab *eodem* edito, reperitur subiuncta. Sed nec *commentatores* defuerunt; ex veteribus præcipue commendandus est, *Eustrathius*, græce, cum *Aspasio*, & quibusdam aliis, editus, ac latinitate a *Feliciano* donatus, quibus, in editione a se curata, *Andronicum Rhodium*, vel, vt postea appellauit, *Olympiodorum*, addidit *Daniel Heinsius*. Secutus est deinceps *Thomas Aquinas*, in quem postea alii ex scholasticis sunt commentati. Inter recentiores vero laudantur *Zwingerus* ac *Camerarius*. Ex his aliqua delibare poterit Noster, vbi vero breuiori quodam compendio præcepta rerum ethicarum desiderauerit, *Antonii Itteri synopsin philosophiæ moralis*, vel etiam *Iacobi Thomasii, philosophiæ practicæ* partem primam, in triginta tabulas distributam, *annotationibusque* illustratam, commendarem. Sed quam imperfecta hactenus fuerit isthæc disciplina, libro septimo, de augmentis scientiarum, demonstrauit, summus quondam Angliæ Cancellarius, *Verulamius*, in quem *commentarium de morali scientia augenda*, deinceps scripsit *Vincentius Placcius*, cuius etiam *accessiones morales* notæ sunt. Quare nec improbo, si quis in locum plenioris compendii moralis, *Samuelis Pufendorfii* librum, *de officio hominis & ciuis*, & quidem partem eius primam, heic substituerit. Cæterum in argumento morali, ex antiquis scriptoribus proficere optime licet, quam in rem laudandi sunt, *Hierocles, ad aurea Py-*

thagoreorum carmina, *Epistetus*, *in Enchiridio*, & qui ad illud reperiuntur commentati, *Simplicius* ac *Arrianus*; ex latinis multum heic præstitit *Cicero*, variis libris, *de officiis*, *de finibus*, *Tusculanarum quæstionum de amicitia*, *de senectute*, item *Seneca*, *de beneficiis*, *de ira*, & sic deinceps. Quin & Christianæ ecclesiæ patres, præsertim illi, quibus aduersus gentes pugnandum fuit, egregia multa passim in operibus suis tradiderunt, quæ ad illustrandam hanc philosophiæ partem eleganter possunt adhiberi, in quorum censu referuntur, *Clemens Alexandrinus*, *Iustinus Martyr*, *Tertullianus*, *Lactantius*, *Arnobius*, & quem forte primo loco debebam nominare, *Augustinus*, cuius *de ciuitate DEI* opus plane incomparabile est. Equidem sequioribus seculis prolixam industriam in rebus huius generis præ se ferre visa est philosophia *scholastica*, quæ, nisi fallor, seculi duodecimi decursu, autore potissimum *Petro Lompardo*, Pariensi episcopo, est exorta, sed successu admodum infelici, nam dicere ausim, præterfectarum in quas id genus hominum se passum est separari, digladiationes, eoque hinc *Thomistarum*, inde *Scotistarum* enatas sophisticationes, parum satis, & certe vix aliquid tanto labore dignum reperiri, ne de periculosis hypothesibus dicam, quæ iunior schola circa conscientiam excogitauit, quando mentales reseruationes & huius generis plura alia admisit, a quibus saniores etiam gentiles abhorruerunt, vt omnino aurum ex stercore seligere necessum habeat, qui euoluendis istis, vt appellari solent, *moralistis*, operam vult impendere. Ego sane Nostro suasor sum, ne se scriptoribus istis vllo modo immisceat, habemus enim heic nobiliora longe præsidia, & indignum plane foret, post repertas fruges glandibus adhuc velle vesci. Illud vero non est prætermittendum, cum propositum sit huic philosophiæ, mores hominum iuxta regulam rectæ rationis temperare, id quod in rem ipsam deduci non potest, nisi & latentium morum affectuumque notitiam, is, qui curare velit, sibi comparauerit, necessarium esse, vt qui in hoc disciplinæ genere excellere cupiat, hanc quoque ar-

tem

tem calleat, qualem nos docet philosophia *characteristica*, de qua tamen, præter *Theophrasti characteres*, & quæ ad illos annotauit *Casaubonus*, quæque deinceps nonnulla laudabimus, pauca habemus; continentur autem illis notæ præsertim corporum ad inuestigandas indolis animique qualitates, cuius curæ pleni sunt *characteres Isacii Porphyrogenneti*, quos *Rutgersius*, libro quinto variarum lectionum, capite vigesimo, edidit. Sane, qui hanc morum coniectandorum rationem, in formam artis redegit, nisi fallor vnus solus est, *Scipio Claramontius*, Cæsenas, eques & philosophiæ olim in academia Pisana professor, cuius *Σημειωτική morales*, seu *de coniectandis cuiusque moribus, & latitantibus animi affectibus*, nobilissimum opus, libris decem comprehensum, Venetiisque primum excusum, Helmestadii, ab *Hermanno Conringio*, editum est. Specimina characteristicæ huius disciplinæ ostenderunt alias *Edo Neubusius*, *in theatro ingeniorum*, *Bæclerus in characteribus politicis Velleianis Barclaius in Icone animorum*, quorum hic integras nationes, ille certas tantummodo personas designandas sibi sumsit. Sed paulo diutius nos tenet hic locus, redeundum est in viam.

Postquam de prima illa *prudentiæ* parte, quæ discrimen *honestorum* a turpibus, vel, si mauis cognitionem *iuris* & *honesti*, continet, satis diximus, pergendum est, ad partem alteram, quæ in *consiliandi arte*, siue *consiliis* de republica cum vera *vtilitate* dandis, consistit, quales ex *regulis status* publici plerumque solent desumi: *ad consilium de republica dandum, caput est, nosse rempublicam*, inquit *Cicero*: quare iam satis apparet, necessitudo interioris cuiusdam notitia circa rempublicam, qua nihil ad ciuilis actus nominisque laudem præsentius est aut efficacius; isthæc, sicut ex solita accurataque illius gentis, cuius regimen administramus, descriptione, haurienda est, vnde ad contextum ac disciplinam *historiarum reipublicæ* deducimur: ita consiliorum heic applicari solitorum regulas atque fontes præ cæteris eximie indagauit percoluitque *Iustus Lipsius*, cuius nunquam satis laudatos

II. de orat. 28.

tos, *libros sex politicorum*, Iuueni Nostro assidue legendos maxime commendo. Inter editiones varias, quae publice extant, optima est illa, quam ex instituto *Matthiae Berneggeri* edidit *Io. Freinshemius*. Me equidem non latet, esse nonnulla, quae in libris istis non immerito grauiori etiam censura, praesertim quantum ad capita tertium decimum & decimum quartum libri quarti attinet, possint taxari. Sed postquam naeuos istos praeclara de *politicis Lipsianis*, dissertatione, iam satis indicauit correxitque *Baeclerus*, quam omnino coniungere, & semper ante oculos habere debet Noster non est, vt quicquam vlterius metuamus. Noui & illud heic obiici posse, solum principatum respexisse, eoque cogitata sua direxisse Lipsium, cum tamen non minora sint in optimatium, aut populi statu, consilia. Ad istud repono, equidem negare non posse, quin ad solum principatum vicissim certum est, locum istum in decursu eum ita tractasse, vt parum omiserit ex poliarchici regiminis institutis, saltim in explicandis imperii monarchici regulis, ad generalia fundamenta subinde digitum ita intendit, vt qui in alio reipublicae habitu viuunt occupanturque ad suas quoque vtilitates facile subductiones exinde formare possint, praesertim si, vti par est, incomparabiles hosce Lipsianos centones, non tantum in adornata praeceptorum serie attendere, sed locum quemque ex principio isto, ac fonte primo, vnde Lipsius decerpsit, repetere, ac intensiori considerationе meditationeque sui contextus, examinare instituerint. Caeterum pro diuersa publici status ratione, historici quoque scriptores, quorum vnus in hac, alter in ista forma praecellit, sunt legendi, ex quibus facili negotio consiliorum rationes pro se quisque poterit haurire. In monarchico regimine principatum sine dubio obtinet *Tacitus*, cuius nec sublimius quicquam iudicio aut rectius, nec eloquentia grauius, nec rotunditate decentius, nec vbertate fertilius, tota gentilium habet eruditio, vt nonnemo vir doctissimus haud praeter rem iudicauit, nam cum paginam vides, rem voluminis exhibet, cum vocem, sententia est, monitum est, doctrina

na

na eſt, ſed applicatione paulo difficilior redditur, ni euolutione tali Tibi conſtet, qualem *commentatio Bœcleriana* præclariſſime aperuit. In vtroque genere Ariſtocraticæ Democraticæque inſtitutionis præcellunt, ex Græcis quidem hiſtoricis *Polybius* ac *Thucydides*; ex latinis, *Liuius* & *Salluſtius*. Si ad oratores velimus deſcendere tunc, vti in Græcis, *Demoſthenes*, ita in latinis *Cicero* locum hunc ſuſtineret. Sed & hiſtoria recentior multa heic argumenta ſuppeditabit, ſi quis in monarchicis, annales Galliæ in Ariſtocratis reipublicæ Venetæ commentarios, in mixta formula, imperii Germanici hiſtorias percolere vellet. Pertinent ad hanc quoque claſſem, qui vel *Arcana rerumpublicarum* vel *rationem ſtatus* libris ſuis tradere profitentur, quorum illud *Arnoldus Clapmarius*, hoc vero *Ludouicus Septalius*, *Fridericus Bonauentura*, *Ludouicus Suecoli*, præſtiterunt, de ne *Bœclero*, *Conringio*, *Thomaſio* aliisque dicamus, quorum ſuper hoc argumento diſſertationes publice extant.

Transeundum eſt ad tertium prudentiæ ciuilis caput, quod conſiſtit in *dexteritate exequendi negotia ciuilia*; abſoluitur autem illa idonea applicatione generalium principiorum politicorum ad caſus & circumſtantias ſpecialiter incidentes. Neque enim ſufficit ſcire, quid heic vel illic decernendum faciendumue ſit, quod ſæpe norunt accuratius theoretici, & qui in ſcholis verſantur, homines, interdum ad res gerendas ſatis inepti: facultas actiua expediendi negotia iuxta præſcriptum & intelligentiæ ſiue ſcientiæ politicæ, & honeſtatis, ſiue iuris & vtilitatis, requiritur. Hoc eſt, promtitudo & induſtria quædam, per quod id, quod nobis dictat intellectus recte conformatus ad negotia, & ad quod vtilitas cum imperio rationis, ſecundum conuenientiam illam rectæ rationis cum negotiis ipſis, nos ducit. Germani noſtri, den Politiſchen Hand-Griff, vno verbo ſolent appellare, cuius omnis effectus eo pertinet, vt res ita expediantur, ne in exitu corrumpantur. Si quæras, vnde hæc notitia comparanda? quid reſpondere debeam, vix noui. Sicut enim in prioribus politicæ

liticæ nostræ disciplinæ partibus, præsidia quædam atque instrumenta, quibus scientiæ illæ possunt acquiri ac instrui nominare mihi licuit, ita heic fere hæreo. Equidem negare non possumus, multum conferre ad hanc artem literarum studia, & præsertim assiduam, cumque iudicio susceptam, lectionem historiæ, veteris æque ac recentioris æui: fatendum tamen est vicissim, omnem fere paginam heic facere, naturalem ingenii bonitatem, siue naturalem istam prudentiam, vel *ingenium practicum*, quod diuina gratia hominibus obtingit. Et hoc est, quod *Cominæus*, in *fine tertii historiarum* dixit: memorabile omnino Dei donum esse, ingenio dextro dotari quempiam & perspicaci. Soletque vulgo ipse Cominæus inter illustria exempla iudicii vere practici allegari: is enim literarum studiis prorsus destituebatur, & tamen in gerendis non solum negotiis, sed & historia sua, sermone vernaculo conficienda, tantum præstitit, vt bene multos, qui magna literatura subnixi idem conabantur, sola ingenii sui practici virtute superarit.

Hæc cum sint summa fere ciuilis prudentiæ capita, ad ea in exemplis subinde nobilioribus respiciendum est, vt in singulis inquiratur in veram *intelligentiam* negotii, in rationem *iuris vtilitatisque*, vt & *praxin* politicam.

Mentionem supra fecimus *pseudo-politicorum*, quod tribus verbis nunc expediendum est. Nimirum politicorum duæ sunt hæreses præcipuæ, vna *monarchomachorum*, altera *machiauellistarum*, vti, quidem vulgo solent appellari. Ab vtriusque maxime cauendum est. Sunt autem *monarchiomachi*, qui factiosis dogmatibus summam regum principumque maiestatem attrectant vel impugnant, adeoque periculosa principia fouent circa naturam maiestatem iuriumque maiestaticorum conditionem. Patronos & præcones nefariæ huius disciplinæ recensuit *Arnisæus*, libelli, *de auctoritate principis in populum semper inuiolabili*, capite primo: inter quos fere agmen ducunt, personatus ille *Stephanus Iunius Brutus*, cuius verum nomen *Hubertus Languetus*, *Althusius*, *Miltonus*, *Sey-*

Seysellius, *Buchananus*. Omnia autem eorum dogmata eo fere tendunt, vt populum supra reges constituant, ita, vt vbi rempublicam minus bene administrent, a populo plecti, vel deponi penitus possint, quæque aliæ perniciosæ sunt hypotheses, quales in summam collegit *Bœclerus:* iis vero se opposuerunt, præter *Arnesæum*, *Albericus Gentilis*, *Claudius Salmasius*, & *Io. Barclaius*, integris libris; singularibus autem epistolis, *Casaubonus* & *Bochartus*. Diss. Pol. XVI. p. 45.

Quod *machiauellistas* attinet, sunt ii falsi politici, qui in consiliis suis ad solam vtilitatem apparentem respiciunt, regulis iuris parum vel nihil attentis, eoque omnes actiones iniustas, rationis status prætextu defendere vel excusare, & a commodo reipublicæ nihil non, atque adeo ipsam quoque pietatem, & honestatem, suspendere sustinet. Nomen suum sortiti sunt, a politico illo Florentino, quem variis libris suis, & præsertim illo, quem *de principe* edidit, hanc sectam si non inchoasse saltim iuuasse putant, *Nicolai Machiauello:* iure an iniuria, definire nunc nihil attinet. Esse enim nonnullos, qui ab hac imputatione liberare Machiauellum audeant, ac si meus ipsi non fuerit perscribere, quid fieri debeat, sed quid fierit soleat, in principatu, satis notum est. Quanquam ex aduersa parte non desint, qui hanc impietatis notam eidem merito inuri, contendunt. Sane *Antonius Posseuinus*, Iesuita cum iussu Innocentii XI. Papæ, de quatuor scriptoribus, Philippo Lanoyo, Io. Bodino, Philippo Mornæo, & Nicolao Machiavello, iudicium dare iuberetur, durus admodum fuit erga Machiauellum, quemadmodum ex specimine, quale bibliothecæ suæ, vt vocat, selectæ inseruit potest apparere licet ne lectum quidem Posseuino fuisse Machiauellum, satis demonstrauerit *Conringius*. Secuta nihilominus deinceps Pontificum damnatio, vt in indicem expurgatorium referrentur libri Machiauelli. Sed & perpetuum aduersarium nactus est, *Innocentium Gentilletum*, cuius liber est *Anti-Machiauellus*, qui publice extat. Quicquid vero sit de nomine horum pseu-

vid. ab Gentil. de legat. l. 3. c. 9.

Instit. diu. l. 5. c. 16. sqq. l. 2. c. 149. N. A. XI, 15. proleg. de I. B. & P.

pseudopoliticorum, quos hodie a Machiauello appellamus, rem ipsam tamen quod attinet, negari omnino non potest, quin iam pridem hæc secta fuerit in orbe, quæ nihil iniustum quod vtile statuerit, ita sane *Carneades*, a *Lactantio* iam confutatus: ita *Cyrenaici*, apud *Diogenem Laertium*; ita *Pyrchonici*, apud *Gellium*, aliique veterum plures, aduersus quos *Grotius* disputauit. Imo, iam suo tempore *Socrates* execrare eum solebat, qui primus vtilitatem a natura, siue honestate naturali, se iunxerat, querebaturque id esse caput exitiorum omnium, vt ex *Cicerone* nouimus. Et ne credamus, paucis forte priuatim hanc sententiam placuisse, aut si publice, populis solum ignobilioribus; sane facillimum est demonstratu, ex ipsa elegante Græcia dari consentientes Athenienses, Lacedæmonios, Macedones, plures alios, ipsos quoque sæpe Romanos & si scapham dicere scapham velimus ante Machiauellum non defuerunt, & vel hodie non desunt, inter Christianos, & singuli homines, & integri populi, qui, vbi verbis hanc philosophiam auersari volunt videri, praxi publica & acta rerum accuratissime sectantur. Suffecerit autem nostro, bonis omnibus hæresin hanc, non voce solum, sed & opere ac re ipsa, esse fugiendam. Et hæc ad ipsam politicam spectant.

de LL. P. 12.

De necessitudine *studii historici* ex superioribus iam satis constat. In hoc autem non tam anxias leges, quam ingenii propensionem sequi debemus, omnes enim historiæ & prodesse solent & delectari. Ob reliquos tamen vsus, quos deinceps in iure publico præstat, *historia Germanica* aliis debet præferri, initioque addisci: eaque tum status *veteris*, vt origines gentis nostræ, regiminaque illic recepti, & ad præsentia vsque tempora, per varias vicissitudines, deducti variatique rationes, animo percipiamus complectamurque: Statum veterum Germanorum potissimum descripserunt *Tacitus* atque *Cæsar*, hic quidem in digressione, quam *Sexto Commentariorum, de bello Gallico*, instituit; ille vero peculiari libello,

bello, *de moribus Germanorum*, eleganter conſcripto, quem *beatus Rhenanus*, *Althammerus* aliique commentariis illuſtrarunt; omnium tamen induſtriam longe ſuperauit *Philippus Cluuerius*, nobiliſſimo *de Germania antiqua opere*. Quis vſus ſit huius hiſtoriæ veteris cognitionis, præclare explicauit *Hermannus Conringius*, præfatione libelli, quo veterum ſcriptorum, de Germania, loca collegit.

Tum vero *recentior* Germaniæ hiſtoria eſt adiungenda, quæ duplici fere periodo conſtat, quarum vna a Carolo M. ad Maximilianum I. altera abhinc ad præſentia vsque tempora decurrit. In vtraque, ſollicite proſpiciendum eſt, vt quotieſcunque ſolidam alicuius operis notitiam acquirere, aut de rebus in medium propoſitis cum ſucceſſu iudicium ferre velimus, non niſi æqualibus & *coæuis ſcriptoribus*, eorumque teſtimoniis, vtamur. Nihil enim abſurdius tali, ad hiſtoriæ vniuerſalis conditores, aut noſtri æui ſcriptores recurrere velle aut prouocare. Vnde qui nouiſſimis temporibus ſyſtemata, compendia, nucleos, orbes imperantes, deſcriptiones, vel ſimilia opuſcula, de republica Germanica, ediderunt, ſua quidem laude nequaquam ſunt fraudandi; eorum tamen autoritas, in probandis inſtitutis, aut aſſerendis rebus factisue, anterioris æui; nulla eſt, niſi conſentientibus æqualium ſcriptorum teſtimoniis ſuffulciatur. Scriptores autem iſtos æquales, & proprius quibus inde a Carolo M. res Germanicæ deſcribuntur, peculiaribus operibus in vnum corpus collegerunt, viri docti, rerumque patriarum periti, *Simon Schardius*, quatuor: *Ioannes Piſtorius*, tribus: *Reuberus*, & denique *Marquardus Freherus* tribus voluminibus, atque hi coniunctim *corpus Germanicæ hiſtoriæ* conficiunt.

Sed quia neceſſe eſt, priusquam de ſingulis ita accurate inſtruamur, auctore quodam, velut introductore, vti, qui nos in vaſtum illud mare feliciter excurrentes, velut ma-

nu ducat, *Christophori Lehmanni*, excellentissimum, vltraque tituli sui mensuram æstimandum *chronicon Spirense*, in hunc vsum commendarem, cuius assidua lectio multum proficiet.

Ad vlterius hoc studium iungi debent *acta publica* rerum præcipuarum in Germania gestarum; nam hæc quoque a præclaris viris collecta, ac in publica vsus edita reperiuntur. Quæ ad *antiquiora* tempora pertinent, *Melchior Goldastus*, variis operibus, latino æque ac Germanico sermone, in vnum conduxit, hinc notæ sunt *constitutiones* & *consuetudines*, *imperiales:* Politica imperialia: Reichshandlungen, Reichshändel. Quæ seculo *superiori* agitata fuere, *Fridericus Hortlederus*, vasto opere, *de caussis belli Germanici*, vernacula lingua recensuit, præcipue quantum ad res ciuiles attinet, nam quæ ad causam religionis referuntur, *Lehmannus* in *acta pacis religiosæ* composuit. Præcipuas nostri seculi res pace belloque gestas *Michael Casparus Lundorpius*, *actorum publicorum* quatuor voluminibus, exhibuit, cuius labor postea in hæc vsque tempora, variis voluminibus superadditis, est continuatus. Inseruiunt etiam huic instituto, *theatrum Europæum*, vt & *Diarium Europæum*, quorum potissima Germanicarum rerum nostrarum historiam concernunt.

Ad historiam rerum addenda quoque est historia locorum, & familiarum illustrium, siue studium *geographicum* & *genealogicum:* in illo, quoad generaliorem partem Nostro sufficere poterit *Varenii geographia;* vbi vero ad specialiora contendere amat, *Cluueri introductio ad geographiam*, quam notis suis illustratam, *Buno* edidit, non contemnendum præstabit vsum: his denique coniungendæ sunt *Mappæ* geographicæ, & *topographicæ* descriptiones, quales passim extant.

In

In genealogicis vero, inter prolixiora opera ſelectiſſimum & optimum eſt *Nicolai Ritterhuſii* opus genealogicum, cuius nunc tertia editio, genealogias Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum præcipuorumque aliorum procerum orbis Chriſtiani, ab anno 1400. ad annum 1664. deductas, eleganter complexa. Vbi alii ad fabulas ſæpe decurrunt, quibus in hac diſciplina nimius interdum locus conceditur. Rittershuſius non niſi quod vera hiſtoriarum fide aſſeri poteſt firmarique, in medium attulit, quo nomine Bœclero etiam atque Conringio inprimis laudabatur. Si compendia amauerit Noſter, theologi non minus quam Polyhiſtoris excellentiſſimi, *Philippi Iacobi Speneri, ſylloge genealogica,* & *Tobiæ Pfanneri* libellus genealogicus, nuper recuſus, prodeſſe poterunt. Addi debent eiusdem *Speneri, tabulæ progonologicæ,* vt & nobiliſſimum *opus Heraldicum,* haud ita pridem editum.

Inter *Mathematicas* diſciplinas, præterea, quæ in vniverſum fundamenti loco ſubſterni debent, *Architectura*, eaque præſertim *militaris* eſt, in qua diligentiam ſuam exercebit Noſter, & quoniam is, quem ſibi iam doctorem adſciuit in hoc ſtudiorum genere, per publica quoque ſcripta orbi erudito ſingularem ſuam peritiam, ad præſentis maxime ſeculi genium accommodatam, iam ſatis demonſtrauit, non eſt, cur ego, quæ mihi videantur præſidia nobiliora, velim appellare, cum felicioribus procul dubio conſiliis inſtitutisque, a laudato ſuo doctore poterit inſtrui.

Inde etiam de ſtudio *eloquentiæ*, cuius alias maxima in viro politico eſt neceſſitas, ſeorſim nihil trado, cum ſupponam latinæ linguæ facultatem, antea iam comparatam, quam ad altiora iſthæc ſtudia deuenerit: ſedulum tamen & perpetuum *exercitium*, & *legendi* præſertim veteres, & ad horum imitationem *ſcribendi*, non eſt omittendum, ad quod inſtitutum, certiſſimam pedum viam commonſtrarunt *Io. Henricus*

cus Bœclerus & *Io. Schefferus*, ille *in dissertatione de comparanda latinæ linguæ facultate*; hic in *de stylo exercitiisque ad consuetudinem veterum, libro singulari*, quorum consilia maxime attendenda sunt.

Ad studium itaque *iurisprudentiæ* accedam, quod sane amplissimum est, cum iuris non minus *diuini* quam *humani* notitia constet. Per ius diuinum cumprimis *ius naturæ* intelligo. Ergo si Noster Iuuenis studio iuris solide, & vltra morem vulgi proficere optat, ei a *iurisprudentia vniuersali*, quam sub elogio *iuris naturalis & gentium*, iunior schola nunc tractare amat, initium faciendum est.

Vnde vero huius, eoque pertinentium argumentorum recta notitia optime hauriri debeat, non omnium eadem est sententia, propter diuersas, hanc disciplinam tradendi, hypotheses, quales scriptores publice sectantur, dum alii ex analogia status hominis integri, & pressius nonnihil, iuxta regulas religionis Christianæ, ius naturale tradendum; alii ex custodia socialitatis humanæ, hoc est, ex socialitate rationali, abstrahendo a principiis reuelatis, & secundum generaliores notiones, quatenus cum gentilibus nobis sunt communes, id repetendum esse, autumant, ita vt inter theologiam moralem, & ius naturale discrimen relinquatur. Vtra methodus sit præferenda, discutere heic nihil attinet, maxime postquam non modo rationibus, sed conuitiis etiam agitari, hæc controuersia cepit, quibus me immiscere nolo: diiudicare tamen facile poterit Noster, quid veritatis huic vel illi sententiæ subsit, si quando ad tenorem disciplinæ heic commonstratæ seriem principiorum cognouerit. Ita enim existimo, non posse in hac quidem iurisprudentiæ parte solidiora nobilioraque præsidia sibi comparare Nostrum, quam si pro duce atque *autore perpetuo*, vel maxime sibi commendatum habeat *Hugonis Grotii* incomparabile prorsus & nunquam satis lauda-

laudatum *de iure belli & pacis* opus, cuius tradita vt initio, ac prima inſpectionis vice, difficilia videantur, ab eius tamen conſtanti ſedulaque lectione, a qua ſe nunquam pati debet dimoueri, incredibiles ſperabit ſentietque profectus: neque eorum dicta curanda ſunt, qui, affectibus abrepti, aliquando ſecius de Grotio ſentire ac loqui aſſueuerunt; præterquam enim, quod ab aliis viris eruditis cordatisque, quid ad eiusmodi criminationes poſſit reponi, ſit oſtenſum, ac ipſa inſuper experientia apertiſſime docuerit, ſimilis farinæ cenſoribus plerumque ne lectum quidem, multo minus intellectum eſſe, Grotium, ego quoque & aliorum, & propria experientia edoctus, ſponſor exiſtere poſſum, felices eos præ aliis ſeſe prædicaturos eſſe, qui ſtudium iuris hinc fuerint auſpicati.

Manuductionis loco haberi poteſt *collegium Grotianum*, a *Kulpiſio* adornatum, & nunc ſecunda vice editum, in quo, niſi fallor, compendium operis Grotiani ita exhibetur, vt vbi obſcurus eſt Grotius, planioribus verbis explicetur, vbi non ſatis probus, vnius aut alterius voculæ ſupplemento emendetur, additis denique, circa controuerſias hodie maxime ventilatas, autorum vtriusque partis nominibus, ſæpe etiam rationibus appoſitis, vnde diiudicandi principia fortaſſis deſumi poſſint debeantur. Ergo vt in tempore philoſophiæ Grotianæ Iuuenis Noſter aſſueſcat, omnino ſuaſerim: nam quod ad *difficultatem* operis, vt & *maculam* iſtam attinet, quod ſæpius in *orthodoxa religionis* fundamenta impingat, talia non ſunt, vt propterea totam tractationem reiiciendam eſſe debeamus exiſtimare, ſeparandæ ſunt ſcoriæ, auro retento, poteſtque vtrique huic malo facile medicina reperiri: primo quidem per nobiliſſimos *commentarios*, quos hactenus Eruditi, Illuſtrando huic operi Grotiano, ediderunt; alteri vero per *obſeruationes* theologicas, quales in gratiam eorum, qui religionum controuerſias profeſſo ſtudio alias non tractant, a theologis heic adornatæ reperiuntur.

Inter

Inter commentatores istos procul dubio primo loco nominandus est *Io. Henricus Boeclerus*, cuius *commentatio* valde est insignis, tum propter vberrimam auctoris scientiam rerum ciuilium, tum etiam quod exemplis omnis, & veteris & recentioris, aeui, illam instruxerit, ac in quibusdam Grotii locis subobscuris difficilibusque, quae aliis negotium facessere videbantur, accurate explicandis, singulari prorsus eruditione dexteritateque fuerit versatus, vt carere isto libro vix possimus; quanquam vltra Grotii librum primum, & priora septem capita libri secundi non progrediatur. Proximum ab hoc locum occupant celeberrimi ICti, *Caspari Ziegleri*, in Grotium *notae & animaduersiones*, quippe quae concisa breuitate difficiliora Grotii loca clare admodum exponunt, praeterea quoque perpetuas animaduersiones theologicas continent, quibus capita ista, vbi Grotius hallucinatus est, ad saniora principia reuocantur, prout Iure consultus non solum insignis, sed & theologus praeclarus haberi debet Zieglerus. Edidit etiam *Io. Feldenus notarum* in Grotium librum quamuis mole minorem, sed quia nil nisi contentiones istas, quae cum *Graswinkelio* ipsi intercesserunt, continent, vix merentur seorsim nominari. Sicut nec *Hennigesium*, saltim initio multo minus *Velthemium*, quorum alias in Grotium suscepti labores noti sunt, vt tempus iisdem teratur operosius appellandos censeo. Quantum vero errores in religione a Grotio commissos attinet, ab illis totum Grotianum opus liberare purgareque instituit theologus clarissimus, *Io. Adamus Osiander*, cuius *obseruationes*, quantum id, quod praecipue intendunt, hoc est, theologica, attinet, omnino sunt commendandae, vbi vero ad politica aut moralia etiam dogmata transgrediuntur, parem successum quandoque non habent, saepe etiam Grotium immerito prorsus insectantur. Quod Grotii lectionem mature nimis commendauerim, nemo improbabit, nisi qui ignorat, repetita lectione ad intelligendum Grotium opus esse; quare satius est a primis annis assue-

assuescere autore, cuius opera per vniuersam vitam nobis vtilis esse potest, debetque.

Caeterum hanc naturalis & gentium iuris disciplinam conscriptis aliquot libris illustrare aggressi sunt alii etiam viri eruditi, duorum tradita Grotianis erunt coniungenda. Ante Grotium id fecit *Albericus Gentilis*, ICtus in omni literarum genere excellentissimus, cuius libri *de iure belli* extant, in quibus egregia multa in hanc rem continentur, quae Grotium quoque in adornando suo opere, vt ipse confitetur, iuuarunt, modo curatiorem ordinem, clariorem stylum, & meliores autoritates pro confirmandis suis argumentis subinde adhibuisset. Post Grotium, nec sine aliqua aemulatione, item praestitit *Ioannes Seldenus*, doctissimus Anglus, nisi quod *ius naturale & gentium* a se editum, ad *disciplinam hebraeorum* accommodauerit. Videtur tamen caeteris omnibus palmam heic praeripuisse *Samuel Pufendorfius*, siue eruditionem scriptoris, per omne literarum genus diffusam, seu facundissimae elocutionis atque styli inimitabilis decus siue etiam methodi quodammodo facilioris elegantiam attendas, vt plane ad meliorem aliquam culturam studiis hisce producendis videatur natus. Edidit initio Hagae Comitum *elementorum iurisprudentiae vniuersalis libros duos*, qui deinceps aliquoties sunt recusi. Successit postmodum maius opus *de iure naturae & gentium*, libris octo comprehensum; cumque a *Nicolao Becmanno* & *Iosua Schwarzio*, varii errores eidem imputarentur, quos adornato *indice nouitatum*, a Pufendorfio *contra orthodoxa fundamenta* commissarum, publice iactabant, *apologiam pro se & libro* Pufendorfius mox edidit, vti eruditam, ita satis etiam acrem. Non defuerunt tamen postea, qui super origine moralitatis, super propositione fundamentali iuris naturalis, & aliis quibusdam capitibus litem eidem mouerunt, viri eruditi in

L quo-

quorum numero *Gesenius*, *Velthemius*, *Alberti*, *Zentgrafius*, *Strimesius*, appellandi sunt, quorum varia scripta, vna cum illis, quæ a Pufendorfio, diuersis vicibus, loco responsi, tum in *dissertationibus academicis*, tum in *specimine*, ac denique *spicilegio controuersiarum*, *circa ius naturæ ei motarum*, his facere reposita, inspicienda sunt, si quis accuratiorem earum rerum notitiam desiderauerit. Quod *Thomæ Hobbesii* item *Velthusii* aliorumque similis generis scripta in hanc rem attinet, eorum lectionem prius non suaserim, quam si mens Iuuenis Nostri obfirmata, & intellectus ad secernendum verum a falso penitus instructus fuerit: & tum demum, vna cum Hobbesianis coniungi possunt, quæ passim a censoribus eidem fuere responsa, ex Nostris quidem a *Pufendorfio* & *Zentgrafio*, ex Batauis, a *Cockio*, ex Anglis, a *Roberto Scharrochio*, *Richardo Cumberlando*, aliisque.

Fundamentis in iurisprudentia vniuersali bene collocatis, ad particularum transitus fieri debet, quæ circa *ius* nostrum *ciuile* occupatur, quale Iustinianus Imperator in *publicum* & *priuatum* discreuit. De *necessaria vtriusque studii*, & priuati & publici iuris, *coniunctione*, legenda est *Vlrici Obrechti Parænesis*, aliquot abhinc annis edita.

Vbi ad vlteriores partitiones seorsim est attendendum, palam constat, ius *priuatum* in Germania, *ius Iustinianeum* receptum, & *patrium*, domi nimirum conditum, continere. En! vastissimum locum, in quo integra hominis ætas posset consumi. Sed quoniam memini me Iuueni Nobili consilium heic dare, ad conditionem personæ me quoque accommodabo. Quare in addiscendo iure Iustinianeo ante omnia volo, vt *institutiones* imperatorias sibi habeat quam commendatissimas, omnino enim

enim certum & maxime verum est illud vulgi verbum: Bonus institutista, bonus iurista. Illi vt facilius intelligantur, multi prolixis commentariis prospicere voluerunt; ego solam textus lectionem initio commendo, sed assiduam & cum diligentia iunctam, non superficiariam: addi poterunt *Erotemata Perezii*, qui argumentorum rationes bene enucleauit, & ex visceribus suis eruit, textusque principaliores digestorum adiunxit, quos sedulo euoluet, sibique familiares reddet Noster: vbi placitum fuerit, vnam aut alteram controuersiam ad instituta tractari solitam penitius cognoscere, euoluere poterit *Vinnii* aut *Ludwelli* commentarium, quanquam vt vbique coniungat vix suaserim.

Absolutis institutis, tituli digestorum de *verborum significatione*, & de *regulis iuris*, diligenter sunt legendi, & posterior quoque, si fieri potest, memoriæ penitus mandandus, nam per singulas iuris partes egregium vsum ostendit. In transitu ad *digesta*, & reliquas iuris nouelli partes, ante cæteros *Eckoltum* commendo, cuius *compendiaria pandectarum tractatio*, Ducis loco seruire potest, is enim in singulis materiis eandem prorsus, iure consultisque accuratioribus familiarem, methodum, secundum causarum genera retinuit, vbi alii confusius & diuerso tractandi modo subinde incedunt. Quod si tamen *Lauterbachianum* opus ad pandectas, vti quidem spes facta est, tandem in publicum vulgaretur, illud quin cæteris omnibus palmam sit prærepturum, nullus ambigo. Poterunt interea ad Eckoltum referri omnia ea, quæ vel ex lectione scriptorum practicorum, vel viua voce alicuius doctoris addiscimus.

Quod ius *patrium* priuatum attinet, in forma quidem disciplinæ id nondum est tractatum, imo paucis-

 simis

ſimis etiam in ſcholis, qua ratione id poſſit cognoſci, digito eſt oſtenſum, vt hactenus fere per ſolam iudiciariam praxin quadantenus potuerit comprehendi, eoque fere neſciam, qualem viam heic Noſtro debeam monſtrare. Conſtat illud vel *conſuetudinibus*, vel *conſtitutionibus* imperantium. *Conſuetudines* illas, præſertim vniuerſales, ex *Gylmanno*, *Meichsnero*, *Gailio*, *Mynſingero*, *Sailero*, *Barthio*, aliisque rerum cameralium compilatoribus, maximam partem addiſcere licet: particulares vero ſingularum prouinciarum, ex iure conſultorum, qui illic vixerunt, editis ſcriptis. Quantum ad *conſtitutiones* regum & imperatorum Germaniæ vniuerſales pertinet, antiquiores, variis voluminibus collegit vulgauitque *Melchior Goldaſtus*; recentiores, in comitiis latæ, in corpore *receſſuum imperii* habentur; particulares, in *iuribus prouincialibus*, a ſtatibus imperii paſſim editis extant. Ego in tanta farragine ita conſulerem, vt ſtudioſus Noſter ſibi paulo familiarius reddat receſſuum imperii corpus, & in eo præcipue receſſum nouiſſimum anni quinquageſimi quarti, in quo multa ad iudiciorum & proceſſus forenſis ordine pertinentia habentur: addi his poteſt *Io. Schilteri* Iuris Conſulti eleganter eruditi, *exercitationes Theorethico-Practicas* ad ſeriem pandectarum adornatas, quibus praxin iuris Romani in foro Germanico talem docuit, qua cum Romanis traditis leges patriæ diligenter coniungantur, repetitis ſingulis partibus ex domeſtico ſuo proprioque principio ac fundamento. Vt vero proceſſus iudiciarii regulas etiam apprehendat, conſultum erit, ſaltim de facie exteriori Imperialis Cameræ, quæ Spiræ eſt, proceſſum, ante omnia ſibi notum reddere, quod præſtare, ad hunc quidem ſcopum, ſatis poterit *Blumii* lectio, vna cum *Rhodingii pandectis cameralibus:* quinam vero in ſingulis prouinciis ſit procedendi ordo, *iudiciales ordinationes* in hanc rem vulgatæ ſatis docent.

Et

Et quoniam in multis partibus receptum quoque est *ius canonicum*; inque decidendis priuatorum causis sæpius vsurpatur, nec huius cognitio fugere penitus debebit Nostrum. Suffecerit tamen eidem, si *Lancellotti institutiones iuris canonici*, & ad illas *Casparis Ziegleri* nobilissimum *commentarium* diligenter legerit: vbi ad regulam Nostrarum Ecclesiarum propius attemperatum Canonicum ius cognoscere desiderat, *Io. Schilteri* ad hoc institutum editæ *institutiones iuris Canonici*, adeundæ sunt.

Sed & *ius feudale* huc pertinet, quod in fine corporis iuris Iustinianei habentur. Inter doctores systematicos primam fere laudem heic commeruit *Georgius Adamus Struuius*, *syntagmate* suo *iuris feudalis*, quale pro autore perpetuo retineri potest. Cæterum *ipsius textus* feudalis lectionem sedulam commendo, cui addi possunt *Rhetii* & *Bitschii* libri commentarii.

Superest vt de *iuris publici* studio dicamus, in quo potissimum versabitur Noster, quodque ideo maiori etiam cura addiscendum est. De *requisitis* huius studii legenda est *Samuelis Rachelii introductio in ius publicum*; quinam vero heic extent *scriptores*, quidque de singulis censendum sit, peculiari *dissertatione*, *de studio iuris publici recte instituendo*, & *de scriptoribus eo pertinentibus*, nuper exposui, qualem cum in Tuis iam manibus habeas, haud necessum esse existimo, vt repetam quæ iam satis illic dicta sunt. Suffecerit Nostro indicasse, quod ista omnia sedulo cognoscenda sint. Sed quem ductorem ipse sequetur, si quæras; graue forte est sententiam dicere! quod enim compendiaria scripta attinet, nullum fere est, in quo non plura possis desiderare, suaderem itaque vt initium faciat a lectione *Lampadii* & *Monzambani*, deinde *Bœcleri notitiam imperii* ad instar locorum communium

habeat, qua, quicquid in rebus huius argumenti legerit, ad ſedem ſuam propriam illic referre poſſit. Poſtea inter vaſtiora opera commendatum ſibi habeat *Linnæum*, vt ſaltim in controuerſiis occurrentibus ſubſidium habeat, vnde ſeriem rerum operoſius poſſit cognoſcere, eius enim perpetuam lectionem initio non ſuaſerim. Sed prolixior eſt hic locus, quare ad *diſſertationem* iam antea nominatam me refero, vbi vlteriorem harum rerum conſignationem deſiderabis.

Cæterum quæ hactenus dicta ſunt, ideam aliquam exhibere poſſunt, ad quam ſtudia noſtra componamus: applicationis autem dexteritas & vſus, a fidelis Doctoris inſtitutione dependet: absque illa enim ſi fuerit, in literis, huius præſertim generis, nemo vnquam feliciter proficiet. Ea vero, vti omnino beneficium Dei eſt, ita vt Noſtro luculentiſſime eueniat, atque in animo illius indefeſſus ardor, in corpore perpetua ſanitas viresque integræ ſint, voueo, quibus ſi preces noſtras laboresque adiungamus, de ſupremi Numinis benedictionibus, conſecutionibusque felicioris euentus, propoſiti noſtri implemento deinceps nihil dubitabimus.

F I N I S.